

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXVIX (Fasc. I) — N. 165
M. MARTIO A. MCMLIX

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum

In reliquis civitatibus, 2 \$

Premium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 · BARCELONA

vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12.1958

Editio Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXIX (Fasc. I) N. 165

M. MARTIO A. MCMLIX

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS, <i>Epistula de Latina Lingua rite colenda</i>	1
J. M. ^o MIR, <i>Adnotationes in superiorem Epistolam</i>	5
AE. ORTH, <i>Notae criticae in scriptares latinos</i>	20
FR. ALOISE, <i>Nausicaa</i>	25
N. MANGEOT, <i>De Olympiis</i>	31
L. M. SANSEGUNDO, <i>De macie et pinguedine corporis (Colloquium)</i>	33
J. M. ^o MIR, <i>Nova et Vetera: Surrectio matutina</i>	35
J. SIDERA, <i>Per Orbem-Collectanea</i>	40
BIBLIOGRAPHIA, Tejerina, González, Molina, Aramendia, Sidera	46
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
<i>Aulus domum describit</i>	53
<i>E. Tejerina</i> , «Hanselus» et «Greta»	54
<i>N. Mangeot</i> , Inter serpentes	56
<i>Servius Tullius</i>	58
<i>J. Aramendia</i> , Nuntia varia accipite, pueri	60
<i>M. Molina</i> , In schola latine canamus!	61
<i>A. Redi</i> , Divus Franciscus Assisiensis et turtures	62
<i>N. Mangeot</i> , Narratiunculae	62
<i>Aenigmata. — Effata. — Ad saltum eculei. — Triangulus magicus</i>	63
<i>Aenigma verborum. — In malo veritas. — Solutiones</i>	64

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXIX (FASC. I) — N. 165

M. MARTIO

A. MCMLIX

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

EPISTULA

AD EXCELLENTISSIMOS LOCORUM ORDINARIOS *DE LATINA LINGUA RITE EXCOLENDA*

Excellentissime Domine,

Latinam excolere linguam eandemque diligere sacrorum alumni per saeculorum decursum justis probatisque institutis edocti sunt. Minime enim Te praeterire censemus — utpote sacrae tuae juventae rectam educationem pro viribus prosequentem — quantopere instent Ecclesiae praecepta [I], ut ad Sacerdotium contendentes cum generatim humanis litteris tum praesertim Latino sermone sedulo imbuantur. Probe enim novimus hanc linguam esse Sacerdotis insigniter propriam [II], qua is uti jubetur cum Sacra exsequitur Christi vicem gerens apud Deum; non est dubium igitur quin ipsius munera gratia ille non modo hujus sermonis gnarus esse debeat, verum etiam peritus quam qui maxime.

At nostra aetate vulgata est opinio viros ecclesiasticos haud ita optimis artibus esse eruditos, quibus decessores anteactis temporibus omnium aestimationem sibi comparabant; quin etiam, saepe ac passim dici audimus non deesse sacerdotes sacris ordinibus recenter auctos, qui, ad Latinam linguam quod attinet, tanta inscitia laborent, ut eam non modo expedite loqui aut scribere inoffensis grammaticae legibus, sed etiam vel facillimum Latinitatis auctorem intelligere nequeant [III].

Quae sit hujusmodi rei causa, plane omnibus patebit, qui paulo perpendent quomodo alumni nostri in praesens instituantur. Fatendum quidem est in nostris quoque Seminariis Latinae linguae studium multum esse imminutum [IV], atque sacra Ephebea haud raro inclitam studiorum laudem amisisse, qua, litterarum cultum cum boni virtutisque amore egregie compendo, exemplo auctoritateque viguerunt: pro dolor! aetas nostra nihil aliud vel pluris facere vel avidius cupere videtur, quam commoda vitae utilitatesque, atque non sine contemptu aspernari quod politiorum artium et litterarum navitatem pulchritudinemque redoleat.

Ne quis existimet nos plus dicere quam patiatur veritas, cum de Latinae linguae defectione in Seminariis nostris querimur, satis fuerit in medium

quaedam proferre exempla quae huic Sacrae Congregationi comperta sunt. Etenim per Visitatores Apostolicos, qui nuper in singulis Nationibus de ratione studiorum penitus investigaverunt, factum est, ut de hac re tristissima nancisceremur testimonia. Quin imo non defuerunt qui, ingravescente malo commoti, sua sponte animum nostrum in negotium tanti momenti converterent, omnes ipso quo funguntur munere fide digni et omni exceptione majores, hoc est Universitatum studiorum Praesides, Seminariorum Moderatores ac Magistri, nec non aliqui viri laici haud parvae auctoritatis impenseque de Ecclesiae bono solliciti [V].

At nos moverunt praesertim plurimorum Episcoporum interventus, qui fuse et iisdem fere verbis damna denuntiant Ecclesiae obventura, nisi opportuna aptaque remedia adhibeantur [VI]. Afflictam Latinae linguae sortem conquesti, ejus ignorantiam potissimum deplorant, eo quod, hac de causa, nostrorum Ephebeorum alumni disciplinas philosophicas et theologicas minus colere videantur vel leviter tantum attingere. Nam Latinum sermonem nisi sacrorum alumni optime calleant — id quoque Excmi. Praesules jure meritoque affirmant — Sanctorum Patrum scripta, Conciliorum definitiones editaque, Summorum Pontificum documenta, Theologorum sententiae, uno verbo, uberrima totius Traditionis monumenta divitias suas eis aperire non possunt.

Quapropter Sacra haec Congregatio tot tantique ponderis invitationes, quae undique ad eam pervenerunt, recipere non dubitavit; atque rem utilem simul et acceptam se facturam omnibus confisa, ut in libellum colligerentur decrevit documenta aliqua quae SUMMI PONTIFICES nostro tempori propiores ad rem quod attinet luculentissime dederunt. Qui enim hoc parvum volumen evolverit, facile cernet quanta argumentorum vi Latina lingua nostris adolescentibus proponatur omni diligentia et cura perdiscenda [VII]. Summos Pontifices loquentes induximus, ut omnibus, ad quos pertinet, sine ulla ambiguitate pateat quid faciendum sit, ut quae eorum voce Ecclesia ipsa jubet, ad effectum studiosissime deducere non pigate. *

* Quo uberiora de Latinae linguae studio et usu argumenta Excellentissimis Ordinaris suppeditaret, Sacra Congregatio de Seminaris Studiorumque Universitatibus duo quoque opuscula ad eos misit. quibus titulus: I. *Summorum Pontificum cum de humanioribus litteris tum praesertim de Latina Lingua documenta praecipua;* II. *Il Latino lingua viva nella Chiesa, in quo viri praeclari docte ac dilucide rem proponunt.*

Ad Summorum autem Pontificum documenta quod attinet, haec quae sequuntur allata sunt: PIUS IX, Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856 (*Enchiridion Clericorum*, n. 338); — LEO XIII, Epist. *Plane quidem*, 20 maii 1885 (*Ench. Cler. nn. 461-465*); Epist. Encycl. *Depuis le jour*, 8 sept. 1899 (*Ench. Cler. nn. 593-596*); — PIUS X, Epist. S. C. Studiorum, *Vehementer sane*, 1 julii 1908 (*Ench. Cler. nn. 820-822*); Epist. *Sollicitis Nobis*, 8 dec. 1910 (*Ench. Cler. n. 849*); Epist. *Votre lettre*, 10 julii 1912 (*Ench. Cler. n. 861*); — BENEDICTUS XV, Litt. S. C. de Semin. et Stud. Univ. *Vixdum Sacra Congregatio*, 9 octobris 1921 (*Ench. Cler. n. 1125*); PIUS XI, Epist. Ap.

Quo plenius vero propositum assequamur, operaे pretium est exponere quaenam sint remedia adhibenda, malo curando consentanea; quae sane ita diligenda sunt, ut sint pauca quidem numero, sed efficacitate validissima. [VIII].

I. — Dubitari non potest quin ad linguam Latinam in pristinum florem vigoremque restituendam, primum locum obtineat accurata selectio Magistrorum [-1]. Perspicuum est enim nullum hujus disciplinae prefectum esse sperandum usque dum magistri haudquaquam idonei huic operi addicti fuerint. Nam Visitatores Apostolici communi sententia affirmant ex hoc potissimum prodire valde dolenda consectaria, quod scilicet huic disciplinae tradendae saepe saepius magistri praepontantur haud pares. Curent igitur Ordinarii, ut discipulos doctis praceptoribus solummodo committant, iis in primis qui, cum altius ac diligentius apud Universitates studiorum in litteris elaboraverint, sint instituendi docendique periti; qui si desint, cuncti contentione eos parare enitantur.

II. — Ad Latinum autem sermonem facilius penitusque ediscendum, Seminarii alumni inde a primis navandis litterarum studiis hujus linguae rudimentis instituantur necesse est [-2]. Recta vero institutionis methodus accurate seligatur oportet: quomodo scilicet tironibus haec disciplina sit impertienda, ut eam colant, diligent ac diligendo optime discant [*].

Sunt qui, severiorem sententiam secuti, nimis et temporis et curae philologicis pervestigationibus tribuant atque doctissimis quidem ac paene infinitis elucubrationibus discipulorum mentes refercant: quid mirum, si tantam doctrinæ congeriem oscitanter accipiunt alumni atque fastidiunt? [a].

Alii contra, quibusdam recentioribus instituendi praceptis indulgendo, censem discipulis, paucis dicendi scribendique legibus acceptis, quam primum in lectionem optimorum Latinitatis Auctorum esse incumbendum [b]. Quo fit, ut discentes, necessariis rudimentis haud instructi, omne genus difficultatibus prohibeantur, quominus quae legant recte interpretari valeant; quamobrem crebro accidit, ut pueri, vanis infructuosisque inceptis fatigati, animo ita deficiant, ut desperent se id quod conantur assequi posse.

Cum omne, quod finem et modum excedat, semper noceat, medium iter tenere debemus: apta igitur et efficax illa nobis videtur alumnorum institutio, quae —opera congruenter impensa grammaticae regulis verborumque con-

Officiorum omnium, 1 augusti 1922 (*Ench. Cler. n. 1154*); Epist. Ap. *Unigenitus Dei Filius*, 19 martii 1924 (*Ench. Cler. n. 1189*); M. P. *Latinarum litterarum*, 20 octobris 1924 (*Ench. Cler. nn. 1200-1202*); — Pius XII, Epist. *Encycl. Mediator Dei*, 20 novembris 1947 (*A. A. S. 39* [1947] 544 s.); Serm. *Magis quam*, 23 septembribus 1951 (*A. A. S. 43* [1951] 787); Serm. *C'est une grande joie*, 5 septembribus 1957 (*A. A. S. 49* [1957] 845-849).

structioni ediscendis— crebris exercitationibus ad difficultates evincendas et ad scriptores recte interpretandos gradatim perducat [c]

Qui vero Auctores diligendi? Antiquitatis Romanae unis scriptoribus haud contentos nos esse oportet, sed etiam magni aestimandi sunt totius Latinitatis Auctores, qui tum incorrupta verborum integritate concinnaque oratione, tum dicendi genere ad aureae aetatis magistros jure accesserint [—3]. Latinus enim sermo numquam ita jacuit, ut aliquando cultores egregios non invenerit non minus elegantia quam doctrina conspicuos. Ex omnis aetatis igitur viris litteratis exemplum simul et incitamentum capiant discipuli, qui hac ratione certis innixam argumentis hanc detegent veritatem: linguam Latinam non esse mortuum quiddam vel exsangue saeculorum pulvere contectum ideoque ad vitae disciplinam prorsus inutile, sed instrumentum atque sapientiae humanitatisque vehiculum, quibus, Ecclesia duce et magistra, noster civilis cultus effectus et conformatus est: eam igitur jure meritoque firmam etiam hodie servare vim et efficacitatem.

III. — Postremo unum nobis valde commendandum restat, ut scilicet ad linguam discendam justa alumnis concedatur facultas [—4]: ut enim ejus pracepta et usum calleant —cum praesertim haud parvae obstent difficultates— multum temporis et laboris requiritur. Quid igitur dicendum de illis studiorum rationibus (quas in quibusdam Seminariis vigere comperimus), quibus tam paucae numero horae präelectionum linguae Latinae studio tribuuntur? Quidam excusationem afferunt, quod majoribus necessitatibus cedere cogantur: ajunt enim alumnos, nisi rationem studiorum a civili potestate prästitutam sequantur, gradus academicos publice probatos acquirere non posse. Quae tamen excusatio probari nequit. Nam Ecclesia ad sacrorum alumnos rite instituendos, cum suos peculiares habeat ac prosequatur fines, suis quoque utitur legibus, quibus nullo pacto se abdicare potest; ceterum esse Seminaria, in quibus tirones et latine discant et gradus academicos sibi comparent, omnibus compertum est.

Haec Tecum communicanda putavimus; eaque sane tanti momenti et auctoritatis esse videntur, ut Tuas mereantur curas sollicitudinesque quam maximas. Pro certo quidem habemus, omnia in Tuo Seminario ita dispositum iri, ut ad has normas hortationesque alacriter conformatentur.

Qua freti spe, optima quaeque Tibi ex animo ominamur ac plurimam in Domino salutem dicimus.

Datum Roma, ex Aedibus Sancti Callisti, d. xxvii m. Octobris, in festo D. N. Iesu Christi Regis, a. D. MCMLVII.

 I. Card. PIZZARDO, *Praefectus*

L.  S.

† C. Confalonieri, *a Secretis*

A D N O T A T I O N E S

Ecclesia per studiose suscepit et quasi perennem humanitatis thesaurum¹ servavit linguam latinam qua olim per fines romani imperii homines loquebantur. Cum vero illud praepotens ac vastum imperium barbarorum gentes iteratis incursionibus pervastarent et in partes dividerent, lingua quoque latina gravissimo vulnere sauciata est; quae tamen plurimis hominum aetatibus apud gentes valuit, ac, licet multis foedaretur vitiis, ex ore illarum gentium non recessit usque dum novae progenitae sunt recentium civitatum seu nationum linguae.

Illa autem humanitatis cultusque eximia opera quae sapientissimi viri tota Graecia totoque Romanorum imperio pepererunt atque immortalitati tradiderunt, Ecclesia, dum barbarae irrulebant gentes, sancte custodienda exceptit et in monachorum coenobia —sacra antiquitatis penetralia— recondit, descriptis, tractavit ornavitque commentariis².

Ac priorum saeculorum Patrumque insistens vestigia latina lingua sacris semper operata est Ecclesia Romana illaque decrevit sacram liturgiam venerabilibus caerimoniis esse evolvendam; hac usa est cum christianam doctrinam gentes edocuit, hac cum sacras tradidit filiis suisque ministris disciplinas; latinum quoque sermonem, auspice Ecclesia, studiosissime coluerunt non tantum qui humanas litteras renovarunt et ideo «Humanistae» sunt appellati, sed per aliquot saecula eruditissimi quoque viri, libros cum scriberent et evulgarent, eo usi sunt. Cum autem illae «humaniores» litterae et praecipue lingua latina a vetere gloria recesserunt, Ecclesia, iteratis statutis, litterisque Apostolicis et Encyclicis saepe hortata est jussitque linguam latinam insigne ac venerabile haberi depositum a Patribus traditum, fundamentum clavemque³ institutionis ac vinculum quo cum Romano Pontifice Episcopi, Sacerdotes et fideles artissime conjungerentur⁴.

1. «Latina lingua... thesaurus est incomparandae praestantiae.» (Pius XII, Serm. Magis quam, cfr. fasciculum cui index *Summorum Pontificum tum de humanioribus litteris cum praesertim de lingua latina documenta praecipua*, S. Congregatio de Seminaris et studiorum Universitatibus, Romae, 1957, p. 15).

2. Leo XIII, Epist. *Plane quidem intelligis*, cfr. *Ibid.* p. 6: «Quibus temporibus bonae litterae vel per inculsum et negligentiam jacerent .. in communib[us] monachorum ac presbyterorum domiciliis unum nactae sunt ex tanta illa turba barbarique perfugium». Cfr. etiam Pius XI, in Motu Proprio *Latinarum litterarum*, *Ibid.* p. 13; A. BACCI, *Universalità della Lingua di Roma. In opusculo Il latino lingua viva nella Chiesa*, S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli studi, p. 3 sqq.

3. Cfr. Leo XIII, in fasciculo *Summorum Pontificia documenta pr.* p. 8: «Une fois en possession de la langue latine, qui est comme la clef de la science sacrée...».

4. Cfr. Pius XI, Epist. Ap. *Officiorum omnium*. *Ibid.* p. 1.: «Hujusmodi cum sit sermo latinus divinitus provisum est ut is mirifico esset usus Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctoribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis; his dando scilicet non solum unde, vel locorum intervallo disjuncti vel in unum locum congregati, facile inter se

Sacra vero Congregatio Seminariis et studiorum Universitatibus praeposita cum gravissimo suo urgeretur officio⁵ summam impendendi operam et curam in illam animi mentisque absolutam institutionem praefiniendam qua aptissime ad sacerdotium pararentur adulescentes, die vicesimo septimo, m. octobri, die Festo Christi Regis, anno MCMLVII, ad Excellentissimos Locorum Ordinarios hanc epistulam *de latina lingua rite excolenda* dedit eamque in diario *L'Osservatore Romano* die uno et vicesimo, m. julio, anno MCMLVIII⁶ editam voluit ac tandem, ut quae decretit maxima ac publica urgerentur et confirmarentur auctoritate in *Actis Apostolicae Sedi*⁷ evulgandam curavit.

Ceterum verba Emmi. Cardinalis Praefecti sacrae Congregationis presse, sed aperte quid Ecclesia, Romani Pontifices, eminentissimorum Patrum venerabilis coetus nostris hisce temporibus, quidque olim de lingua latina apud Seminaria rite excolenda senserint, luculenta oratione significant. Ibi enim et mala hujus temporis lugenda et graviora —quae sanctae Ecclesiae impendeant, nisi apta adhibeantur remedia— inducuntur, et causae de neglecto aut intermisso litterarum latinarum studio ponderantur et probata remedia —in quibus recta docendi ratio— certo iudicio proponuntur.

Ac dum viri eruditii novam perquirunt et investigant linguam⁸ —qua scientia exculti orbis terrarum homines inter se colloquantur—, dum crebros alii congregant coetus ut «classicas» linguis defendant⁹, dum novis argumentis intimam, quam eae secum ferunt, humanitatem ostendunt¹⁰, dum diligenti cura pertractant quae ad

sensa mentis et consilia conferrent, sed etiam, quod majus est, unde, quae Ecclesiae matris sunt, altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite arctius cohaererent».

5. Sacram Congregationem de Seminariis accepimus hanc dedisse ad Locorum Ordinarios epistulam urgente S. Congregatione Sancti Officii.

6. N. 168 (29.833) p. 3.

7. 50 (1958) 292-296. —Non nullae locutiones mutatae et meliores factae sunt in his postremis epistulae editionibus.

8. Cfr. H. TONDINI, *Num inter doctos universos novum quoddam audiendi loquendique commercium coalescere possit*, *Latinitas*, 2 (1954) 9 sqq.: ubi volapuciana et esperantica lingua, interlingua et alta eruditiorum conamina commemorantur; cfr. etiam «De interlingua», *Latinitas*, 3 (1955) 154.

9. Cfr PALAESTRA LATINA, III Conventus «internationalis» studiis classicis provehendis, Consilium Consociationis «internationalis» Societatum studiis classicis fovendis; Conventus Societatis a Guillaume Budé appellatae, cet. — Premier Congrès international pour le latin vivant, Avignon. 3-6 sept. 1956, E. Aubanel, Éditeur. *Actas del primer Congreso español de Estudios Clásicos*, Madrid, 15-19 de abril de 1956.

10. J. MAROUZEAU, *Revue des Études Latines*, 34 (1957) 78-79. A. TOVAR, *Presente y futuro de los estudios clásicos*. Páginas de la revista de Educación, Madrid, 1954. PIGHI..., *Didattica del latino*, A. Signorelli, Roma, 1955. J. PERRET, *Latin et culture*, p. 245. Desclée, Bruges. A. CAYUELA, S. J., *Humanidades clásicas*, Zaragoza, 1940. M. FORNACIARI, *Latinorum*, Longanesi, Milano et conversio hispanica, Editorial Gustavo Gili, Barcelona. — Neque altos commemorare scriptores opus est; cfr. tamen J. JIMÉNEZ, *Quo modo lingua latina iterum universalis deveniat*, PALAESTRA LATINA, 27 (1957) 61; *Idem*, *El latín y los estudios eclesiásticos*, *Helmantica*, 9 (1958) 3 sqq., quas legas, quae so, disputationes ubi P. Jiménez copiose et erudite rem evolvit et tractat multis scriptoribus et libris ubique commemoratis.

linguam latinam spectant: vox Ecclesiae exauditur ut latina lingua, vere «imperialis et regia»¹¹, ne in Seminariis parvi pendatur, dum apud exterros —laicos dicimus viros— praecipua veneratione colitur.

Cum autem hujusmodi documentum sumnum habeat momentum in discendis tradendisque litteris latinis, commentationem aliquam de re instituere in animum induximus. Et in primis partes quae in epistula facile distinguuntur, significamus:

- I instant Ecclesiae praecepta de lingua latina perdiscenda;
- II lingua latina est sacerdotis propria;
- III factum denuntiatur: sunt clerici qui linguam latinam nesciunt;
- IV causa: linguae latinae studium multum est imminutum;
- V testimonia: Visitatores Apostolici, Universitatum studiorum Praesides, Seminariorum Moderatores, laici haud parvae auctoritatis de hoc molo conquesti sunt;
- VI lugenda consectaria nisi remedia adhibeantur;
- VII Pontificum Maximorum documenta de perdiscenda lingua latina;
- VIII remedia: 1) accurata magistrorum selectio; 2) recta hujus linguae tradendae ratio: a) ne nimium philologiae tribuatur, b) ne grammatica neglegatur, c) sed crebris exercitationibus difficultates alumni evincant et gradatim scriptores interpretentur; 3) omnes egregii totius latinitatis scriptores magni sunt aestimandi; 4) multum denique temporis et laboris litteris latinis discendis tribuendum est.

I. Instant Ecclesiae praecepta

Enimvero Ecclesia summa semper contentione enititur ut qui ad sacerdotium contendunt omnem excolant virtutem atque optimis litteris et in primis lingua latina, sedulo imbuantur¹². Quam linguae latinae cognitionem praecipit Codex Juris Canonici: «Linguas latinam et patriam alumni accurate addiscant»¹³; cui plurima Summorum Pontificum praescripta suffragantur:

«Quod autem litteras dicimus excoli a Clero diligenter oportere, non modo nostrates intelligimus sed etiam graecas et latinas»¹⁴. «Quamobrem et explorata utilitate et exemplo decessorum Nostrorum adducti, curare diligenterque providere decrevimus, ut hujus etiam generis studia apud Clericos vigeant et in spem gloriae veteris revirescant...: nimirum volumus, ut in sacro Seminario Nostro Romano certae destinataeque scholae adolescentibus aperiantur acrioris ingenii diligentiaeque: qui emenso, ut assolet, italicarum, latinarum, graecarumque curriculo litterarum, possint sub idoneis magistris limatus quiddam in illo triplici genere perfectiusque contingere»¹⁵.

«Sed curent praesertim diligenterque provideant Episcopi ut studium latini sermonis, qui Religionis Catholicae Occidente toto comes est et administer, in spem veteris gloriae revirescat»¹⁶.

11. Pius XII, cfr. *Summorum Pontificum documenta*, pr., p. 15.

12. Pius IX, *Ibid. Singulari quidem*, p. 5.

13. *Can. 1364*.

14. Leo XIII, *Epist. Plane quidem*, *Ibid.* p. 6.

15. *Id.*, *Ibid.*

16. BENEDICTUS XV, *Litt. Vixdum Sacra Congregatio*, *Ibid.*, 10.

«Primum est de linguae latinae studio in litterariis clericorum ludis omni cura fovendo atque provehendo, quam linguam scientia et usu habere perceptam non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest.»¹⁷

«Liquet clerum, ante alios, latinae linguae perstudiosum esse oportere... Quod si in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus litteris, latinae linguae, quam dicere catholicam vere possumus, ignoratio quedam amoris erga Ecclesiam languorem indicat, quanto magis omnes clericos, quotquot sunt, decet ejusdem linguae satis gnarus esse atque peritos! Horum profecto est latinitatem tanto tueri constantius, quanto a sapientiae catholicae adversariis qui saec. XVI Europae in una Fidei doctrina consensionem labefactarunt, acris eam norunt oppugnatam. Quare —quod ipsum in Jure Canonico cautum est— in litterarum ludis, ubi spes sacri ordinis adolescent, accuratissime sermone latino volumus alumnos institui, hanc etiam ob causam, ne deinde, cum ad majores disciplinas accesserint, quae latine utique et tradendae et percipiendae sunt, fiat, ut prae sermonis inscitia plenam doctrinarum intelligentiam assequi non possint, nedum se exercere scholasticis illis disputationibus, quibus egregie juvem acuuntur ingenia ad defensionem veritatis»¹⁸.

«Ad Nos vero quod attinet, quae hac in re esset mens Nostra, haud semel —datis videlicet Epistolis Apostolicis *Officiorum omnium* et *Unigenitus Dei Filius*, altera die I mensis augusti anno MDCCCCXXII, altera XIX mensis martii hoc anno, aperte significavimus: sive enim de Seminariis et de studiis clericorum promovendis, sive de alumnis Ordinum regularium aliarumque Sodalitatum religiosorum rite instituendis loquebamur, non tam peremptarium, ut ajunt, Codicis praescriptum invocavimus, quam addita argumentorum copia, velle Nos diximus, praecipuaque quadam voluntate, ut linguam latinam uterque clerus haberet scientia et usu perceptam. Qua in re etsi non dubitamus quin ad futura Nobis sit moderorum diligentia, in quos cura et periculum recidit aptae suorum institutionis, in spem sacri ordinis succrescentium, nullum tamen non experiri consilium volumus, ut laus illa, quae antehac in utroque clero eluxit, perfectioris latinitatis, ne omnino depereat, immo etiam, quod fieri poterit, feliciter augescat»¹⁹.

«Quare cordi vobis esto, ut clerici vestri, qui in ministeriis Ecclesiae futuri aliquando sunt, ejusdem linguae scientiam atque usum quam accuratissime percipient»²⁰.

In his aliisque, quos commemorare possumus, locis ex Epistulis Encyclicis et Apostolicis mens Ecclesiae luculenter patet²¹.

17. Pius XI, Epist. *Officiorum omnium*, *Ibid.*, p. 11.

18. *Id.*, *Ibid.*

19. Pius XI, Ex Motu Proprio *Latinarum litterarum*, *Ibid.*, p. 13.

20. Pius XI, Epist. Ap. *Unigenitus Dei Filius*, *Ibid.*, p. 12.

21. Qui linguam latinam usu perceptam habent et cognitam, quid haec gravia verba significant, intellegent: «accurate addiscere; scientia et usu habere perceptam; perstudiosum esse oportere; ejusdem linguae esse satis gnarus et peritos; linguae scientiam atque usum quam accuratissime percipient»... —Ceterum, et quae in Constitutione Apostolica «Sedes Sapientiae» de optimis ac latinis litteris praecipiuntur, hic commemorare oportet:

• Quo tamen rationum atque operum ordine servato, nihil pro rorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum, ad omnes naturales virtutes excolendas, et ad integrum humanitatem viriliter conformandam quolibet modo conferat, ita ut supernaturalis deinde sive religiosa sive sacerdotalis institutio huic solidissimo inhaereat naturalis honestatis exultaque humanitatis fundamento»... (*Constitutio Apost. «Sedes Sapientiae»*, 21-22 III).

Et de studiorum curriculo medio-classico in «Statutis Generalibus»:

• Art. 43, § 1. Curriculum humaniorum litterarum, quod elementarium consequitur et medium-classicum audit, haec requirit:

II. Lingua latina sacerdotis est propria

Hac enim lingua utitur sacerdos cum vicem Christi gerit et sacramenta conficit, cum Officium Divinum statutis horis persolvens Deum pro populo christiano pie precatur; hac utitur lingua cum disciplinas philosophicas, theologicas, Jus Canonicum discit; hanc callere debet linguam ut Conciliorum definitiones et decreta, documenta Pontificia, Instructiones et Ordinationes Sacrarum Congregationum, lingua latina scripta, plane intellegat ejusque sensum penitus calleat; neque alia lingua maxima pars Patrum scripserunt nobisque opera immortalitate digna reliquerunt²²; quae una cum mediae aetatis scriptis perennem constituant litterarum ac religionis thesaurum, quem superiora saecula sedulo custodiendum, investigandum, amplificandum nobis sacerdotibus tradiderunt²³ ut ex eo antiquitatis thesauro pietatis doctrinam facile hauriremus. Cum igitur «lingua latina jure meritoque dicitur et sit lingua Ecclesiae propria²⁴», sacerdotis esse debet pariter «insigniter propria», ejusque studium est singulare venerationis et amoris erga matrem Ecclesiam signum; nam qui ab Ecclesia praeteritis temporibus defecerunt —fueruntque schismatis capita— simul et linguae latinae studium abjecerunt. Eum igitur dedecet omnino —qui tot pervolutare debet libros lingua latina conscriptos, quibus doctrina

3.^o Tot praeterea studiorum anni et disciplinarum scholae addendae sunt quot requiruntur ut illam expletam eruditionem classicam alumni consequantur quam Ecclesia a futuris sacerdotibus postulat.

4.^o Qui autem studia media partim vel integre in scholis diversae rationis peregerit, de studiis testimonium authenticum afferre debet vel examen subire; dein ea quae desint eruditioni classicae necessario supplere tenetur.

§ 2. — 1.^o Curriculum medium-classicum duplex distingui diversa ratione solet: *inferius* et *superius*...

§ 3. — 1.^o Praeter studium religionis, quod in se praecipuum est, curriculum medium-classicum complecti debet imprimis studium linguarum praesertim patriae, latinae et graecae, et etiam exterarum.

2.^o Diligens adhibeat cura, ex multifariam repetita voluntate Sanctae Sedis, incumbendi studio linguae latinae ejusque usui, tum ob ejusdem vim ad mentes fingendas, tum propterea quod sermo Ecclesiae est, quae Latina dicitur. Alumni saltem ita latinas litteras classicas et christianas calleant ut textus scholares facile perspicere possint et, tempore opportuno, traditionis ecclesiasticae fontibus uti fructuose valeant.

3.^o Similiter graecis quoque litteris imbuantur alumni ut textus saltem Sacrae Scripturae et Patrum legere queant.

De lingua latina in tradendis disciplinis philosophicis et theologicis adhibenda peculiaria pracepta statuuntur in Statutis Generalibus, art. 44, § 2, 2.^o, art. 45. 7 § 5.

22. Cfr. Pius X, Epist. *Vehementer sane*, *Summorum Pontificum documenta pr.*, p. 8.

23. Cfr. Pius XI, in Motu Proprio *Latinarum litterarum*, *Ibid.*, p. 13: «Idque praeterea Ecclesiae esse honori tribuendum, quod non modo vetustissimos latinos codices injuriae temporis eripuit /ncolumesque posteritati servavit, sed etiam uod, hac latinitatis laude si quⁱ saeculorum decursu floruerunt, II plerumque aut in utroque clero numerabantur aut Urbis plausum ac praemia assecuti sunt».

24. Pius X, Epist. *Vehementer sane*, *Ibid.*, p. 8.

ac pietas viri christiani et sacerdotis continentur — hujus linguae ignarum esse et imperitum²⁵.

III. factum denuntiatur: sunt sacerdotes qui linguam latinam nesciunt

Fuit olim haec lingua decus et ornamentum non tantum virorum eruditorum sed in primis sacerdotum; fuit apud Italos, quorum nobilissima Seminaria — in quibus patavinum — praestantissimos erudierunt latinitatis magistros; fuit apud Hispanos quorum studiorum Universitates — in iisque salmantina — doctrina humanisque litteris effulserunt; fuit apud plures orbis terrarum nationes; sed nunc perculsa, prostrata, abjecta multis locis «imperialis lingua» jacet. Dolendum sane vel ipsos sacerdotes — qui tot annos humanis litteris operam dant, qui toto studiorum curriculo libros latina lingua conscriptos perpetuo versant —, cum ad bibliothecas accedunt et Romanorum volumina inspiciunt aut veterum Patrum scripta, aut aetatis nostrae libros de divinis profanisque rebus latine exaratos, vultum avertere et, quasi quid mirum viderint, dicere: «latinum est, non legitur»; et quod deterius est vel Libros Sacros et liturgicos non intellegunt nisi illis lingua patria apponatur interpretatio. Jure igitur meritoque et nos cum Leone XIII Pontifice Maximo dicimus: «Laus illa latine cum dignitate et venustate scribendi passim consenuisse videtur»²⁶.

Quod si facillima scripta non percipiunt, quo modo expedite loquentur latine et scribent? Si curriculum philosophicum et theologicum exsequentes lingua latina in schola non utuntur, neque lectionem sermone latino repetere sciunt, si cum condiscipulis nec verbum latine conserunt, si neque scripto pericula latino sermone exarant; qua ratione, quae nunquam didicerunt, usu adhibere poterunt?

Et tamen sunt sacerdotes vel ex ipsis nationibus quae civilem cultum et humanitatem multo serius perceperunt, qui nobis, Europaeis et Americanis, sint exemplo, cum satis expedite lingua latina eos colloquentes audierimus.

IV. Causa: latinae linguae studium multum est imminutum

Quod sane patebit iis qui statuta legerint quibus studiorum ordinationes in Scholis Mediis seu Gymnasiis reguntur²⁷. Non defuerunt tamen viri periti et in

25. Cfr. Pius XI, Epist. *Ap. Officiorum omnium*, *Ibid.*, 11.

26. Epist. *Plane quidem intelligis*, *Ibid.*, p. 6.

27. Apud Hispanos studium linguae latinae maxime nunc est imminutum, quod sane plurimum doluerunt doctores praecipui qui Institutorum Mediae quae dicitur Institutionis et Universitatum scholas linguae latinae moderantur (cfr. *Estudios Clásicos* 4 (197) 61-67 et *PALAEstra LATINA* 28 (1958) 295; in eodem fasciculo commentarii, c. t. *Estudios Clásicos*, p. 134-142, agitur de studiis mediis apud Gallos iterum instaurandis; et de imminuto studio linguae latinae apud Belgas; cfr. etiam *Association des Classiques de l'Université de Liège*, 2 (1954) 59; 6 (1958) 19: «Le Latin à l'heure des Spoutniks».

dicendo fortis et strenui²⁸, non desunt studiorum Universitates neque doctorum coetus qui supremos nationum rectores admoneant de hac abjecta et exitiali sermonis latini condicione²⁹, quique praesertim florentis linguae latinae statum desiderantes totis viribus eritentur —scripta evulgando, magistrorum coetus congregando, ipsamque supremam studiorum Consociationem UNESCO adeundo³⁰— ut nova et accurata constituatur studiorum ratio qua et laici homines et clerici probatissima erudiantur classica institutione quae est praecipuum ac maxime firmum totius humanae institutionis fundamentum³¹.

Sed falsa illa et damnanda prorsus opinio —qua «nostra aetas nihil aliud vel pluris facere vel avidius cupere videtur quam commoda vitae utilitatesque»³²— vel in ipsis sacris Ephebeis irrepit³³, ibique illa vox humanitatis et litterarum inimicis consonans percipitur: «ad quid sermo latinus? Nihil ad vitam hodiernam, nihil ad cultum novi hominis; nunc «linguis vivis» clericos ornatos esse decet; non lingua latina, sed patria in praesens utamur quo et fideles sacra perfectius intellegent nostraque ministeria pluris habebunt ac proinde copiosior erit animorum fructus». —At latet in re fallacia; adhibe, Sacerdos, patriam linguam quoties opus sit et tibi facultas a Sede Apostolica et ab Antistite tuo detur³⁴; intellegant te fideles sacros ritus exsequenter; sed tu, Dei minister, illam penitus callere debes linguam quae et mentem tuam pietatis doctrina imbuat totumque animum certo judicio conformet ut verbum Dei salubriter fidelibus distribuas³⁵ et quanta

28. Conferantur, quaequo, multis locis commentaria: *Estudios Clásicos*, Madrid; PALAESTRA LATINA, Barbastro-Barcelona; *Bulletin de l'Association Guillaume Budé*, Paris; *Association des Classiques de l'Université de Liège*, cet.; in his eminent placita hujus consociationis: *Motions de l'Association des Classiques de l'Université de Liège* et *Motions de l'Association National des Professeurs de Grec et de Latin*, *Association des Class.* 4 (1956) 124-125; cfr. PALAESTRA LATINA 27 (1951) 170.

29. *Premier Congrès International pour le latin vivant*, Avignon; *Asamblea General de la Federación Internacional de Asociaciones de Estudios Clásicos*, cfr. *Estudios Clásicos* 4 (1958) 353-354; PALAESTRA LATINA, 20 (1958) 423-424.

30. *Estudios Clásicos*, *Ibid.* et 358.

31. LEO XIII, Epist. Encycl. *Depuis le jour*, *Summorum Pontificum documenta pr.*, p. 7. A. GRISART, *I Congrès Intern. pour le latin vivant*, p. 18; 144-149.

32. Confer ipsam Epistulam S. Congregationis supra.

33. Cfr. A. AURELI, *Quam sit dolendum quod ipsis in Seminariis latinus sermo consenserit*, Alma Roma, 5 (1918) 65. J. FORNARI, *De latinae linguae studio apud Seminaria*, *Ibid.*, 9 (1922) 145 sqq. A. AURELI, *De latinae linguae studio apud Seminaria novae animadversiones*, *Ibid.*, 9 (1922) 182-183.

34. Cfr. PIUS XII, «Il serait superflu de rappeler que l'Eglise a de graves motifs de maintenir fermement dans le rite latin l'obligation inconditionnée pour le prêtre célébrant d'employer la langue latine...». Cfr. *L'ami du clergé*, 68 (1958) 537-546, M. NOIROT, *Le latin langue vivante de l'Eglise*, p. 539, ubi alia laudantur documenta ad rem spectantia. — Ceterum in ea disputatione cl. v. M. Noirot copiose et docte Epistulam S. Congregationis commentatur.

35. Cfr. NOIROT, *Ibid.*, p. 538: «On comprend que l'Eglise, que désire que ses ministres non seulement pensent juste mais aussi s'expriment clairement et d'une façon digne de la Parole de Dieu, leur impose la formation latine», et paulo inferius: «L'étude du latin n'est pas une question de pure érudition ou de luxe intellectuel, mais une question de formation humaine».

insit percipias Sacris Libris et liturgicis prudentia, pietas, doctrina easque alios edoceas.

V. Testimonia: Visitatores Apostolici, Universitatum studiorum Praesides, Seminariorum Moderatores, laici haud parvae auctoritatis de hoc malo conquesti sunt

Testes adhibentur gravissimi ac locupletissimi quibus ulla dari exceptio nequit; remque satis manifestam neque dissimulare possumus neque nubem veritati objicere. Etsi in singulis nationibus pauca non deesse arbitramur Seminaria, Collegia, studiorum sedes ubi lingua latina studiose excolatur, tamen multis locis usu et experientio didicimus linguam latinam penitus perculsam jacere et quasi consenescere, et ideo jure meritoque illas edidit normas et praescripta Sacra Congregatio ut ubique et in omnibus Seminariis latinitatis studia excitentur, renoventur, impense provehantur.

VI. Lugenda damna nisi idonea remedia adhibeantur

Mala funestissima³⁶, quae ex neglecta lingua latina in praesens manant et majora quae in posterum consequentur nisi apta adhibeantur remedia, praecipua dicitur causa qua moti Patres Cardinales, qui Seminariorum studia curant eisque advigilant, hanc ad Locorum Ordinarios dederunt epistulam.

Quae quidem Ecclesiae illata rursusque majora inferenda mala nostrae aetatis Pontifices Maximi semel atque iterum denuntiarunt:

«Dolendum est enim, plerumque Clericos et Sacerdotes, hujusmodi sermonis haud satis gnos, posthabito antiquae sapientiae patrimonio ac neglectis eximiis nostrorum operibus, quibus solide ac dilucide proponuntur Fidei dogmata atque ab adversariorum impugnationibus strenue et invicta defenduntur, doctrinam sibi comparare ex libris et ephemericibus, vernacula lingua conscriptis, unde saepissime abest orationis perspicuitas, accuratus disserendi modus, fida dogmatum interpretatio. Quae igitur Paulus Timotheo praescripsit: «Formam habe sanorum verborum... Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositionis falsi nominis scientiae quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt»³⁷, haec vigere semper et servari necesse est, sed his praesertim temporibus, quum hostes catholicae veritatis invalescent variasque erroris versutias sub scientiae specie venditando, multos in exitium pertrahunt. Quorum conatus et fallacias dignoscere penitus et repellere nemo potest, nisi dogmatum Fidei sensum refineat et formulam, qua sunt expressa, adeoque nisi, sermonem ipsum, quo Ecclesia filios suos alloquitur, apprime calleat»³⁸.

Quam Benedicti XV sententiam vehementius inculcat iteratisque verbis Pius XI confirmat:

ne et chrétienne», ex Emm. P. A. JULLIEN, *Etudes ecclastiques dans la lumière de Rome*, p. 29-30 ibidem allatos.

36. Quae mala dilucide et copiose a Kmo. P. U. Ledochowski exponuntur, cfr. *Il latino lingua viva nella Chiesa*, 32 sqq.

37. 2 Tim., 1, 13.

38. BENEDICTUS XV, Litt. Vixdum S. Congregatio, cfr. *Summ. Pontificum documenta pr.*, p. 10.

«Ita jam nan continget, quod saepe dolemus fieri, ut nostri clerici sacerdotesque, cum haud satis operae litterarum latinarum studio dederint, neglectis Patrum Doctorumque Ecclesiae copiosis voluminibus, quibus Fidei dogmata exhibentur cum dilucide proposita tum invicte defensa, idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus petant auctoribus in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et accurata disserendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatio desiderari...»³⁹.

Ac denique Rmus. P. Uladomirus Ledochowski, Praepositus totius Societatis Jesu, in illo quod emisit voto die 28, m. augusto, anno 1940, non solum defectionem illam in tradendo et discendo sermone latino rem gravem disciplinae ecclesiasticae esse affirmat cum praecepta Ecclesiae plane aut ignorantur, aut, quod deterius est, aperte violentur, sed majora etiam Ecclesiae mala consecutura magno verborum pondere declarat cum ipsa fides periclitetur: sunt enim verba quae temporum decursu in philosophia et theologia tradenda sunt recepta et probata, quorum sensus apprime definitus est, suntque breves sententiae quasi lapideae quorum in linguis hodiernis interpretatio saepe maxima scatet difficultate; quae si hominum ac maxime clericorum inscitia in tradenda et discenda theologia, ac vel in ipsa philosophia —quae theologiae ancilla est habenda— haud recte intellegantur nemo est qui ignoret quantum inferri possit fidei damnum ex illa vocabulorum non recta cognitione et idonea sensus interpretatione⁴⁰.

VII. Summorum Pontificum documenta:

quae sunt saepius hoc commentario laudata multis solidisque argumentis linguam latinam —cum aliis litterarum studiis— aptissimam confirmant ad clericorum animos fingendos, quam omni diligentia summaque cura a clericis perdisci luculento praecepto jubent.

Quae cum ita sint ac pateat quid Ecclesia de studiis litterarum et in primis de latina lingua sentiat, id unum restat ut illa gravissima summaeque auctoritatis verba Pii XII imm. mem. alumnorum, magistrorum, superiorum omnium mentibus diu multifunque consideranda proponamus, quibus praecipua quasi capita hujus rei continentur.

•Quantopere id Nos delectat quod ipsi vultis tirones vestros humanioribus litteris liberalius imbuerel Haec ad surgentia ingenia conformanda aptissima sunt, ut tum in cogitando et loquendo sit lucidus ordo et vana vitet profluentia verborum, tum ut aliae praeclarae parentur bene cordati viri laudes. Hisce in studiis querimur quiddam contingere triste. Pro dolor, latina lingua, gloria sacerdotum, nunc languidores usque pauciores habet cultores, Quis digne celebret hunc imperiale sermonem —βασιλείχη γλώσσα a Graecis appellatur— quae vera non enuntiat sed sculptit, quae in edictis et sententiis peculiari splendet gravitate, quae in Latina Ecclesia liturgico fruitur usu, quae denique Catholicae Ecclesiae est magni pretii vinculum? Nullus sit sacerdos, qui eam nesciat facile et expedite legere et loquili Praeter haec utinam orientur inter vos haud parvi et pauci qui etiam presso et eleganti dicendi genere eam scribere valeant.

39. Pius XI, Epist. Ap. Officiorum omnium, *Ibid.*, p. 11.

40. Cfr. opusculum *Il latino lingua viva nella Chiesa*, p. 31 sqq.

Enimvero latina lingua, itemque et graeca, cui tota ecclesiastica scripta, jam a prisco christiano aevo, commissa sunt, thesaurus est incomporandae praestantiae; quare sacrorum admini ster qui eam ignorat, reputandus est lamentabili mentis laborare squalore»⁴¹.

Et in sermone ad Seminariorum Galliae alumnos «studia classica» his laudibus mirifice extollit:

«Vous devez vous réjouir tout d'abord de faire des études classiques, car elles demeurent inégalées pour exercer et développer les plus précieuses qualités de l'esprit: pénétration du jugement, largeur de vues, finesse de l'analyse et dons d'expression. Rien n'aide à comprendre l'homme d'aujourd'hui comme l'étude approfondie de son histoire; rien n'apprend à peser la valeur des mots, à saisir les nuances d'une pensée, la logique d'une composition et la solidité d'un raisonnement, comme le travail de la version et du thème sur les langues classiques. Pour vous, Français, latin et grec sont d'ailleurs à l'origine de la langue et de la littérature nationales; mais tout homme d'Eglise se doit de pouvoir lire dans l'original les documents les plus importants et les plus vénérables de l'Écriture et de la Tradition...»⁴².

VIII. Remedia

Vitia non sufficit publice denuntiare, sed remedia sunt apponenda efficacissima si tantum malum volumus aut curare aut, quod maxime optandum, radicitus extirpare.

1. *Accurata magistrorum selectio*: Exercitus qui strenuis prudentibusque caret ducibus ab hoste profligabitur; alumni qui praestantibus careant magistris⁴³ neque in sacra optimarum litterarum et praesertim latinarum penetralia ingredientur neque has maximum esse ornamentum, quo adulescentium deceat exornari animos, facile unquam percipient.

Ut autem alumni id assequantur quod Sacra desiderat et praecipit Congregatio: ut loquantur et scribant lingua latina, opus est ut praesto sint eis magistri, qui non tantum veterem quandam et usu tritam tradant grammaticam, sed ut auctores ipsi perlegerint et in schola latina loquuntur lingua ac diligenter, prudenter, sapienter corrigant, emendent, expoliant alumnorum scripta.

Perquam exitiosa praeterea est eorum opinio qui arbitrantur linguae patriae et latinae alumnis tradendae quemlibet inservire posse laicum hominem vel clericum qui his linguis semel, cum pueritiam ageret, operam dederit. Quo saepe numero magister ille constituitur qui nullos secum habet libros, qui bibliothecas non conve-

41. Pius XII, Serm. *Magis quam*, cfr. opusc. *Summ. Pontificum doc. pr.*, p. 15.

42. Pius XII. Serm. *C'est une grande joie*, p. 2, 2.

43. Cfr. A. CAYUELA, S. J., *Humanidades clásicas*, Zaragoza, 1940, p. 595: «El Profesor lo es todo. Gran parte de los fracasos que en diversas épocas y lugares han experimentado en algunos Centros los estudios de Humanidades y que han menoscabado el crédito de tales estudios, se han debido a la impericia de profesores mal formados, o faltos de espíritu humanístico en la enseñanza». *Quam sententiam uberioris deinde explanat sequentibus paginis.* —Cfr. *Estudios Clásicos*, 4 (1957) 142. *Primera reunión de estudios sobre la metodología del latín en la Enseñanza Media*: «La suerte del latín depende, más que de los planes de enseñanza, de los profesores que explican esta disciplina».

nit, qui superiora studia non est exsecutus, qui coetus, ubi viri doctrina et arte docendi peritissimi congregantur, nullos adiit, aut hujus linguae specialia curricula non perfecit; qui nec verbum scit neque nomen audivit eorum magistrorum qui in patria et apud exteris nationes libros evulgant doctrina et scientia refertos et in re grammatica utilissimos. Qua ratione hi latinitatis magistri alumnorum animos conformabunt? Nonne alumni aegritudine prementur, linguam latinam fastidientes, cum videant magistrum indoctum aut illius aptae praeparationis expertem qua ornari deceat magistrum? Neque sufficit magistrum ad manus habere grammaticam manualem, quam «textum» dicunt, sed alios quoque praeclaros in re grammatica auctores secum habeat oportet eosque saepe consulat.

Neque vero in magistris tantum est defectio, sed etiam in libris ad alumnorum usum editis, seu «textibus» qui dicuntur, seligendis. Nam dum manuales aliarum disciplinarum libri, qui alumnis ad scientiam comparandam inserviunt, perpetuo corriguntur, emendantur, novi eduntur paedagogicis probatisque docendi rationibus in dies aptius accommodati, in Seminariis et Collegiis frequentius veteres remanent libri nulla apposita emendatione aut novata docendi ratione. Quo fit ut magistri neque sedulo studio neque vero linguae latinae amore flagrent, quem neque in alumnorum animis excitare poterunt cum et ipsi latinitatem minoris animo habeant.

Quod autem deterius, non defuerunt professores qui quadam animi diligentia grammaticam explicarunt; et licet illius probatae essent expertes doctrinae et conformatioonis —cui comparanda diligentia tantum non sufficit—, libros quoque conscribere aggressi sunt alumnis destinatos aut interpretationes ediderunt scriptorum romanorum: quae quidem opera nulli sunt decori litteris patriis et sacro, quo insigniuntur, ordini ecclesiastico. Quod sane malum minime evenisset si illi, cum prima latinitatis rudimenta perciperent, probatos habuissent grammaticae rectaeque versionis doctores.

Illudque etiam animadvertisendum: inutile prorsus est —ne dicam perniciosum— in constituenda studiorum ratione et ordine quinque sexque annos in linguam latinam descendam insumendos praescribere si idonei desint doctores aptique libri; iisque libri et magistri vel maxime primis institutionis annis sunt delegandi cum priores posteriorum annorum sint verum ac praecipuum fundamentum, quo qui careant magnam aedificii molem super instruere unquam poterit.

2. *Recta hujus linguae tradendae ratio*: «Seminarii alumni inde a primis navandis litterarum studiis hujus linguae rudimentis instituantur necesse est». Neque illam afferri liceat difficultatem: alumnū primis litterarum annis —decimo aut undecimo aetatis anno— linguae latinae pulchritudinem nullo modo percipere posse; nam id certo non intenditur ut a primo vel altero anno scriptores intellegat optimos, sed ut jam primis annis fundamenta grammaticae jaciat, memoria penitus teneat declinationes et conjugationes et praecipua syntaxeos p̄aecepta: quae quidem quamprimum sunt perdiscenda ut his adminiculis paulatim scripta faciliora, selectas narrationes interpretetur ac tandem optimos scriptores plane intellegat.

Quibus animadversionibus documentum Consociationi UNESCO traditum consonat:

«Il est à souhaiter que l'enseignement des langues classiques dans les établissements de second degré s'adresse aux enfants aptes à le recevoir intellectuellement parlant, en dehors de toute considération de la classe sociale, et que ceux-ci débutent dans cette étude le plus tôt possible, c'est à dire dès le passage de l'école primaire dans les gymnases ou lycées»⁴⁴.

*** Monitum praecipuum**

«Haec disciplina ita est impertienda, ut alumni eam colant, diligent ac diligendo discant». Cui quidem negotio perficiendo maxima inest difficultas, cum in magistris summa sit oportet calliditas, disciplinarum cognitio et in docendo auctoritatis pondus. Maxima doctoris virtus in eo est sita ut hoc assequatur propositum: «Alumni disciplinam colant, diligent eamque diligendo discant». Sed, pro dolor! in scholis taedio molestiaque, ne dicam in linguam latinam odio, audientes afficiuntur. Id omni contentione est enitendum ut mores, instituta, usus, quibus res publica et imperium romanum summo steterunt ac viguerunt honore, paulatim alumni percipient, ac vel picturis, tabulis photographicis, apta rerum eventuumque descriptione, colloquiis, concertationibus inter discipulos, commentariorum lectione, facile et gratum discentibus linguae latinae studium fiat. Documentum illud Consociationis UNESCO eadem ponderatis verbis refert:

«Beaucoup des réponses reçues font allusion, sans rien préciser, à des «méthodes nouvelles». Rien, en effet, ne doit être négligé qui puisse susciter l'intérêt et mieux l'enthousiasme des jeunes auditeurs. On cherche à les éclairer sur les *realia* en ayant recours, par le livre, les projections, les films, à des illustrations, à condition qu'on se fasse une règle absolue de n'en présenter que d'authentiques; on les conduira dans les musées et dans les cas, les plus favorables on leurs fera faire des voyages aux sites archéologiques régionaux et étrangers. Cela dit, n'oublions pas que des moyens extérieurs ne peuvent pas remplacer le travail de l'esprit sur les textes mêmes et qu'une acquisition qui a une telle importance et une telle valeur ne saurait être réalisée sans un effort persévérant»⁴⁵.

a) *Ne nimium philologiae tribuatur.* Philologia nova est disciplina magni quidem facienda, sed quae proprium locum ac sedem in superioribus Academiarum studiis habet. Haec vero disciplina nullo modo optimam et genuinam tradendae linguae latinae rationem praefocare debet⁴⁶. Ne igitur omnes phoneticae regulae

44. Cfr *Estudios Clásicos*, 4 (1958) 358-359, *Informe de la Comisión de la F. I. E. C.*, p. 359; **PALAEASTRA LATINA**, 28 (1958) 423.

45. *Ibidem*.

46. Cfr. A. CAYUELA, *Humanidades clásicas*, p. 428: «La Filología ha invadido a destiempo en la enseñanza española secundaria y superior unos dominios que en manera le correspondían, usurpando así los derechos de las Humanidades y ahogando los genuinos estudios de la tradicional Latinitad». Quod argumentum multis subsequentibus paginis evolvit. Cfr. *ibidem*, p. 432, n. 7, locum ex fascículo P. M. BARBERA, S. J., Roma, *La Civiltà cattolica*, excerptum et L. LAURAND, *Manuel des études grecques et latines*, t. III, VII-336.

alumnis explicitur et evolvantur, ne omnes morphologiae permutationes ab ortu linguae latinae aut quae ne monumentis quidem comprobari possunt, subtili descriptione referantur. Litterae enim latinae finem habent definitum et proprium, alumnorum animos non nimia levique eruditione intingere, non innumeris praceptis mentem onerare, sed summorum scriptorum lectione conformare, ex quibus illud quasi mentis aequilibrium educere debent quo in totius vitae curriculo sano, justo, aequo judicio res tractare possint. Et ideo neque ipsi grammaticae nimium curae et temporis est tribuendum; sunt enim qui adeo grammaticis praceptis insistant eaque perpetuo alumnis inculcent velut si tota latinitas in una discenda grammatica staret et contineretur⁴⁷. Quod contra omnino est, nam —quod scimus— et Jacobus Facciolatus in sapientissima oratione edixit «non latinum sermonem ex grammatica, sed grammaticam ex latino sermone natam esse»⁴⁸. In legendis igitur interpretandisque scriptoribus summa cura est collocanda.

b) *Ne grammatica neglegatur.* Quin tamen immutabiles grammaticae leges et quasi totius latinitatis fundamentum quis ignorare possit, ut nominum declinationes et verborum conjugationes «quae sunt memoriter ante omnia discenda», ac praeterea: «Summa constructionis (syntaxeos) capita altissime infigat animo, calleatque probe velut unguis digitosque suos»⁴⁹.

Quae grammaticae institutio si suis contineatur finibus, aliud quoque vitabit vitium magister, illam nempe docendi rationem qua alumni necessariis non instructi rudimentis statim ad optimos auctores legendos ducuntur: quo fit ut pueri vanis animi conatibus fatigati in his intellegendis latinitatis scriptoribus operam et oleum se perdere arbitrentur. Quae inanis contentio iterum molestiam, fastidium, faedium litterarum latinarum et magistrorum alumnis afferet. Medium igitur tenendum est iter ut alumnorum institutio grammatica et efficax sit et maxime fructuosa⁵⁰.

c) *Exercitationes.* Haec vero efficacitas et praecipuus fructus praesertim in crebris exercitationibus exsistit⁵¹: in interpretandis et explicandis latinis scriptoribus, in patriis quoque latine reddendis, in recitandis orationibus, in concertationibus inter alumnos, in scriptiunculis a discipulis exaratis, in versibus pangendis, similibusque. Illudque in primis meminerint magistri quod Quintilianus de Cicerone dictum

47 - 48. De hac tradendae grammaticae ratione legas quae J. FACCIOLATI disertissime dixit in oratione in Seminario Patavino habita cui index: *Latina lingua non est ex grammaticorum libris comparanda, Orationes XV et alia ad dicendi scientiam pertinentia*, Patavii, a. MDCCCLII, p. 15 sqq. —cfr. A. BACCI, *Adversus grammatis et minutioris eruditionis amatores*, *Latinitas*, 4 (1956) 91 sqq.

49. Id *Ibid.* Cfr. tamen J. L. VIVES, *De causis corruptarum artium*, 1. II, c. II, t. VI, Valentinae a. MDCCCLXXXV, p. 82 sqq., ubi et artem grammaticam et grammaticos defendit.

50. De apta tradendae et discendae linguae latinae ratione multa sunt agitata et subtiliter explicata in libris, commentariis, conventibus, coetibus, quos saepe supra memoravimus.

51. Cfr. *Ratio, Reg. Profess. class. infer.* 21, loc. mem a P. Cayuela, p. 555.

52. *Instit. orat.*, 10, 3, 1; CIC. *De orat.*, 1, 33.

refert⁵²: «stilum optimum effectorem et magistrum dicendi vocat». Manu ducant igitur alumnos in scriptioribus exarandis et emendandis et in genuina scriptioris latinae indole percipienda et assequenda ac vel in toto orationis tenore et colore vere latino ubique inducendo⁵³.

3. Omnes egregii totius latinitatis scriptores magni sunt habendi

Certam hanc in legendis antiquitatis auctoribus normam diligenter sequamur. Fuerunt enim qui hanc tractantes quaestionem nimium uni tantum adhaerere voluerunt scriptori, hunc legere, hunc tantum imitari; sed qui sano mentis valent judicio hanc agendi rationem non probabunt. Nullus enim est linguarum studiosus et cultor qui ex quam plurimis scriptoribus non seligat optima, quae multis locis splendent, pulchritudinis ac bonarum litterarum specimina.

At cum adulescentes ad optimam institutionis normam erudiendi sint et informandi, ad praecipuos, qui fuerunt in latinitate, magistros accedere debent quos legant et imitentur⁵⁴; in quibus principem tenet locum Cicero, quocum conjungendus est Caesar, purae elegantiae auctor; inter poetas vero —qui quidem in superioribus Gymnasii scholis aspernandi non sunt— Vergilius et Horatius; Nepotis, Sallustii, Livii narrationes libenter et utiliter adulescentes interpretabuntur. Neque alii parvi pendendi veteres scriptores (Quintilianus, Curtius, et in poetis Tibullus, Catullus, Ovidius, cet.); quos pauci qui Patrum aetate floruerunt in pura latinitate scriptores sequentur; deinde qui renatarum litterarum tempore omnem suam collocarunt aperam ut latinitatem ad pristinam revocarent dignitatem et majestatem; denique qui recentioribus temporibus nostraque aetate litteras excolunt et scripta

53. Cfr. de hujusmodi exercitationibus quae uberrime P. Cayuela, *Humanidades clásicas*, pertractat (*El método humanístico: la prelección - la erudición - la composición y la preceptiva - otros ejercicios*, pp. 521-619); cfr. etiam de optimorum scriptorum interpretatione rite perficienda et de nostrae aetatis scriptoribus in latinum convertendis P. J. JIMÉNEZ, *La traducción latina*, Páginas de la revista de Educación, Madrid, 1955, ubi multi commemorantur libri et rei auctores. Ceterum multum dilaudandi sunt linguae latinae praeceptores qui omni scribendi genere alumnos exercent eisque selectissima et optima harum exercitationum specimina praebent, ac vel eos inducunt ut in publicam palaestram descendant, id est ut in scholarum commentariis scriptiunculas evulgent: quo alumnis animi adduntur ad illam rectam loquendi et scribendi rationem alacrius comparandam; cfr. commentarios quorum est index: *Acta diurna, Trinity School, Groydon, Surrey (in Anglia), Palaestra Adolescentium, Conde 2, Barbastro - Lauria, 5, Barcelona (in Hispania), Tiro, Beacon-Verlag, Würzburg (in Germania)*.

54. Totam de legendis et imitandis scriptoribus quaestionem certo judicio P. Ae. SPRINGHETTI, S. J. (*Institutiones stili latini*, Romae 1954, p. 262 sqq.) pertractat, quem consulas quaeso. Quid alii senserint scriptores (in his Quintilianus, Heineccius, Muretus, Noltenius, Vives) de unius Ciceronis imitatione cfr. *Viget latinitas, Helmántica*, 5 (1954) 373-374 (377); unum tantum imitandum Ciceronem edixit P. CHELUCCI a Sto. Josepho in oratione de M. Tullio Cicerone imitando (*Orationes habitae in Archigymnasio Romanae Sapientiae*, t. 2. Barcinone, p. 52). — A P. A. Cayuela, *op. mem.* p. 524 selecti referuntur loci ex Quintiliano, Kleutgen, Seneca quibus unus fere imitandus Tullius proponitur. Tamen id censemus: *praecipui et selecti in tota latinitate scriptores legantur oportet; imitandi tamen pauci et in primis Tullius*.

evulgant nitoris et elegantiae plena. Ex his omnibus libri, orationes aut eclogarii seligant loci ut «ex omnis aetatis viris litteratis exemplum simul et incitamentum capiant discipuli». Quos si totius latinitatis optimos scriptores legant vel ipsi adolescentes, facile eorum rejicient suoque labore confutabunt opinionem qui linguam latinam edisci volunt ut veteres tantum intellegamus scriptores in iisque mirificam demiremur pulchritudinis speciem. Nam haec pulchritudinis species cum non in uno tantum inveniatur auctore sed in optimis antiquitatis scriptoribus viguerit, eam contemplemur oportet in quam plurimis, qui per hunc in aetates consecuti sunt, egregiis scriptoribus et magistris: hos quoque demiremur, hos legamus, hosque nostri scriptis imitemur, quo commonstrabimus: «Linguam latinam non esse mortuum quiddam vel exsangue saeculorum pulvere coniectum»...

4. *Multum temporis et laboris litteris latinis tribuendum est*

Latina lingua quid habet proprium et singulare cum non proxime ad usum et hominum consuetudinem illam discamus — quanquam id quoque maxime est entendum ut Sacra jubet Congregatio —, sed praesertim ut legamus egregios qui in tota latinitate exstiterunt et valuerunt auctores. Quod sane ut assequamur propositum assiduus labor et aliquot annorum spatium⁵⁵ opus est, praesertim si illam quam diximus institutionem percipere volumus quae ex praestantissimis scriptoribus in adolescentium defluit animos in eosque penetrare debet, ac si illam dicendi rationem et colorem genuine latinum nancisci volumus quo nos et grammatice, pure, latine, non tantum meritis verbis latinis loquamur.

Nullo igitur modo «paucae tribuendae sunt horae studio linguae latinae»; sed quod rei praestantia et adolescentium patitur aetas et apta studiorum ordinatio. Cui studio in Seminariis et Religiosorum Collegiis quinque saltem annos assignandos esse censemus, ita apte scholae distributae ut per quinque saltem et triginta horas per illud annorum spatium in hebdomada doceatur. Plures sunt studiorum ordinationes quibus ad quadraginta horas in hebdomada, dato quoque idoneo ad parandas scholas tempore, alumnos litteras latinas docere praecipiatur.

Vel maxime est considerandum qua ratione, quo certo ac valido argumento excusationem illam de studiis, a potestate civili statutis, exsequendis neque excipiat neque probet Sacra Congregatio.

Verba denique, quibus epistula absolvitur, qua polleant auctoritate et quo graventur pondere Locorum Ordinarii secum meditentur oportet, ut, quo insigniti sunt in Ecclesia officio, fideliter fungantur cum res «sane tanti momenti et auctoritatis videantur, ut eorum mereantur curas sollicitudinesque quam maximas».

JOSEPHUS M.^o MIR, C. M. F.

55. Ut optimas assequamur litteras assiduus impendendus est labor multumque temporis spatium. Quanto opus sit labore in lingua graeca discenda — idemque de latina est dicendum — evolvit M. LEBEL, *L'enseignement et l'étude du grec*. Montréal, 1944, p. 246 sqq.

Notae criticae in scriptores latinos

CATO, «*De Agri Cultura*, praefat. 3 (Marci Porci Catonis de agri cultura recens. Henricus KEIL, Lipsiae 1884, pg. 11, 8 - 12) haec habet:

‘et virum bonum quom laudabant, ita laudabant: bonum agricolam bonumque colonum; amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur; mercatorem autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo virum, ut supra (§ 1) dixi, periculosum et calamitosum’.

Eo loco hujus textus, quo «virum» supra scripsi, codices «verum» exhibent, quae vox mutari debet; quoniam particula adversativa «autem» (= «mercatorem autem...») jam antecessit, altera particula adversativa («verum») rejectanea videtur; propterea «verum» corrigendum in «virum» est, quae scriptio aptissime in illam sententiam de mercatore convenit; nam illud dictum, quo «mercator» describitur, duas in partes ita discripi potest: «mercatorem (qui strenuus studiosusque rei quaerendae est) existimo virum (qui, ut supra dixi, periculosus et calamitosus est)»; hoc verbum «existimo» artissime ad proximum illud «virum» trahendum est; iste «mercator» igitur etsi non «vir bonus» judicatur, tamen «vir» certe habetur; quod autem falsa forma «verum» ex solito errore litteras vocales E et I confundendi nata est, ideo tandem «virum» summo jure in textu Catonis collocandum est; cf. QUINTILIANUS 1, 4, 17, ubi «ver» idem valens ac «vir» indicatur.

VARRO (a. 116 - 27) ille maximus indagator linguae latinae aequalis Ciceronis (a. 106-43) fuit. Varro 25 libros «De lingua latina» composuit quorum maximam partem Ciceroni dedicavit; etiam «De sermone latino» scripsit; Stoicorum doctrinam grammaticam a praceptorum Aelio Stilone didicit et multis opusculis propagavit. Cum Varro tot studia de origine linguae latinae fecit, Cicero has res sine dubio planissime comperit, quoniam Cicero cum Attico, editore praeceps litterarum romanarum, intimus et familiarissimus fuit, a quo Attico etiam Ciceronis scripta et orationes in lucem prodierunt. Ut Varro Ciceronem vivum plurimi fecit eique multos dicavit libros, ita Cicero Varronem vivum partem disputationis in «Academicis» agentem induxit: Varro eruditissimus Ciceronem disertissimum honestavit. Varro et Cicero fuerunt auditores Antiochi Ascalonitae, philosophi Academicorum, qui Stoicae quoque doctrinae tam peritus erat, ut Cicero eum «germanissimum Stoicum» appellaret. Ita uterque (Varro et Cicero) quasi columen litterarum romanarum fuit, uterque fontibus tunc temporis Stoicorum florentium uberrimis refertus fuit. Varro ipse posteris aetatibus tamquam doctor insignis linguae latinae ab Augustino laudatur (cf. *De Civitate Dei*, 19, 3, 2). Idem Varro in Augustini libro «Princi-

pia dialecticae usurpatus videtur esse, ubi Stoicorum ratio loquendi, eloquendi, ratiocinandi describitur. Varro tamen in Ciceronis quoque libris jam nomine omisso respici potuit; ergo non Augustinus demum, sed Cicero ipse Varronis labores ad suos libros adhibuisse videtur. His de causis veri simile haberi potest in illo Ciceronis loco (*Orator*, 32, 115) Varronis quoque expositionem elementorum Stoicae grammaticae et dialecticae titulis saltem brevissime repetitam esse.

Ex Stoicorum igitur disciplina etiam ea quae hic sequuntur, orta esse credibile est: Ciceronis *Orator*, 32, 115 haec habet: (orator debet vel illa antiqua = Aristotelis vel hac Chrysippi disciplina institutus esse;) «noverit primum vim, naturam, genera verborum et simplicium et copulatorem; deinde quot modis quidque dicatur; qua ratione verum falsumne sit, judicetur; quid efficiatur e quoque; quid cuique consequens sit quicque contrarium; cumque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi explanari que oporteat». In his verbis Ciceronis quasi tituli capitum scientiae Stoicae apparent:

primo capite de loquendo agitur: natura (= φύσις) verborum describitur; origo et usus vocabulorum enarratur; deinde vis (= δύναμις) verborum circumscribitur, quae actio eadem fere est ac definitio (nominalis et realis); *praeterea* verba ita distinguuntur:

simplicia verba sola et seorsim posita sunt neque cum alio verbo conjuncta leguntur neque sententiam perfectam efficiunt; pertinent magis ad morphologiam; respicitur quodlibet vocabulum;

copulata verba propositio nem integrum gignunt, cujus altera pars est praedicatum (χατηγόρημα), altera subjectum (= πτῶσις); quae spectant ad syntaxin;

secundo capite de eloquendo sermo est; elocutio vel enuntiatio est axioma (= propositio); agitur de modis enuntiationis unius cujusque rei; hujus modi res, quae dicitur, non est corpus, sed eventus quidam (= suceso, *Sachverhalt, Tatbestand*); quarum rerum singularum multi modi propositionum enumerantur; apud Priscianum (cf. *Gram. Latin.* III 93, 13, Lipsiae 1859 edit. H. KEIL) hae leguntur sententiae et conjunctiones: «copulativa, continuativa, subcontinuativa, adjunctiva, causalis, effectiva, appetitativa, disjunctiva, subdisjunctiva, disertiva, ablativa, praesumptiva, adversativa, abnegativa, collectiva = rationalis, dubitative, completiva;

apud Philonem Judaeum *De Agricultura* (cf. ARNIM: *Stoicorum Veterum Fragmenta*, vol. 2 n. 182) ἀξιώματα ἀπλά ita ordinantur: συνημένα. παρασυνημένα. διαταρεύοντα. διεξευγμένα. ἄλλα τοιουτότροπα.

ἀληθή (ἀξιώματα) (= *valoris* 1). φευδή (= *valoris* 0). ἀδηλα (= *valoris* 1/2).

δυνατά. ἀδύνατα. ἀναγκαῖα. οὐκ ἀναγκαῖα. εὔπορα. ἄπορα.

tertio capite *judicium* evolvitur: ea ratio, qua verum aut falsum dictioonis (= propositionis) judicetur, hodie arte logistica matricibus «valerum» veritatis (1 = *verum*, 0 = *falsum*) usa more arithmeticō exprimitur.

quarto capite de ratiocinio disputatur. primo indicatur, quas omnino conclusiones ex quolibet ratiocinio (= syllogismo) ducere liceat; deinde inter veram (= consequentem) conclusionem et falsam (= contrariam consequenti) distinguitur.

quinto capite ad artem sophisticam transitur: ambiguae multa dicuntur, id est: in Aristotelis libro *Refutationes Sophisticae*, cap. 4, pg. 165 b 4 - 166 b 21 sex fallacie in dictione et septem fallacie extra dicti tractantur, ibique ostenditur, quomodo illae dictiones fallaces discernantur et in rectam formam eloquendi redigantur. Haec omnia ad Varronem spectantia ex doctrina Stoicorum desumpta sunt.

CICERO (a. 106 - 43 a. Chr. n.) composuit librum rhetoricum qui «*Orationis*» inscribitur, ubi cap. 27, 96 hoc modo legere verba debemus: «est enim quoddam etiam insigne et *floretis* orationis pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores». Pro falsa codicum lectione «*florens*» jure ac simpliciter «*floretis*» restituendum est; nam «*floretum*», significat primo locum floribus variis refertum, unde «*floretum*» vel plurale «*floreta*» per metaphoram loco «*florum*» usurpari potest; «*floretum*» numeratur in multis vocabulis in «-etum» desinentibus; forma «*floretis*» proxime ad codicum scriptiōnēm «*florens*» accedit; illud «*florens*» autem contra grammaticam peccans utique emendandum est; «*floretis*» orationis idem ac «*floribus orationis*» valet; ex recta forma «*floretis*» illud falsum «*florens*», oriiri potuit, sed a «*floribus*» ad «*florens*» transitus non datur; quia librarius codicis vocem «*floretum*» non jam noverat, ad formam non convenientem «*florens*» configuit.

In Ciceronis oratione *pro Marcello* 2, 4 ita nunc scribatur oportet: «nullius tantum lumen est ingenii, nullius dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia quae non dicam exornare, sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit...»; supra in principio «lumen» posui pro falso «flumen», quoniam non de flumine nec de celeritate dicendi agitur in rebus Caesaris laudandis, immo de cogitationibus et sententiis inveniendis ad Caesaris gloriam augendam, quae cogitata mentis acumine et subtilitate comparantur. Apud Ciceronem complura «luminis ingenii» exempla inveniuntur: *De re publica* 6, 12, 12; *Brutus* 15, 59; *ad Quint. frat.* 2, 9, 3 (in judicio de Lucretii poëmate); cf. præterea QUINTIL. lib. 1 *prooem.* 6; codicum error scriptiōnis facile explicari hoc modo potest, quod *F* et *L* dittographia exoriebantur (*FL*).

Ad orationem pro Archia poëta 3, 5:

Archias poëta Graecus ex urbe Antiochia, capite Syriae, oriundus circa annum a. Chr. n. 119 natus poëtica indole eximia ornatus adulescens terras declamans peragravit Romamque anno 102 advenit, ubi a nobili Lucullorum

familia hospes acceptus annoque 93 a municipio Heraclea civitate romana donatus est. Triginta fere annis post (anno 62) a Gratio, Pompejano quodam, injuria de eadem civitate romana accusatus, sed a Cicerone feliciter defensus est. In Ciceronis oratione locus ille, qui Archiam hospitem Lucullorum fuisse refert, hoc modo legitur: «Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam *recepérunt*: *signum* etiam *hoc* non solum *ingenii* ac *litterarum*, verum etiam *naturae* atque *virtutis*, ut *domus*, quae hujus adolescentiae prima fuit, eadem esset familiarissima senectuti». Hunc textum ita emendatum scripsi, ut recte et bene intellegendus videatur: «...*recepérunt*: *signum* etiam *hoc*...»; pro his verbis codices hoc pacto exhibuerunt: «...*recepérunt*, *sed* etiam *hoc*...» quam scriptionem vocis «*sed*» sensu cassam esse omnes hujus orationis editores clare perspexerunt; error enim textus in hoc tantum vocabulo «*sed*» absconditur. Sequentes quidem genetivos «non solum *ingenii* ac *litterarum*, verum etiam *naturae* atque *virtutis*» a substantivo quodam dependere necesse est, et illud substantivum desideratum et postulatum in ista vacula falsa «*sed*» abditum est; illud «*sed*», quod intellectui obstat, primo nihil aliud fuit nisi «*signum*» (= *secnum*), nam «*signum*» ita litteris grandibus scriptum est *SIGNVM*; postea abbreviationis nota *SIG*, unde *SEG* evasit, quod scriba quidam cum sequenti particula «*etiam*» conjungens in formam «*sed*» mutavit, ut «*sed etiam*» oriatur. Hac denique ratione recta vox «*signum*» recuperata et optima verborum structura totius sententiae effecta est. Signum (*σημεῖον*) enim est vox logica, qua conclusio ex rebus externis et manifestis obtineri potest; nam ex illa propositione *praemissa*, qua Archiam in Lucullorum domum receptum esse constabat, opus erat cognosci poëtae indolem moresque tantae virtutis fuisse, ut Luculli graeculum illum tamquam sui similem in familiam honestissimam acciperent; ex hac observatione praeterea elucet illud «*ut*» esse consecutivum (ex antecedentibus genetivis Archiae naturam describentibus); accedit quod vi quadam rhetorica «*signum*» ante «*etiam hoc*» (pro hac positione: «*etiam hoc signum* (scilicet: erat)») collocatum est, cum orator quasi figura asyndeti vehementius consequentiam judicare vellet. Cicero ipse postremo, qui vocabulo «*signum*» (= *judicium*) uberrime utitur, alias locos «*signi*» prorsus similes praebet, ut exempla afferam, *in Verrem*, II lib. 2; 47, 115 «*hoc signum cupiditatis*», *pro Plancio*, «*haec sunt indicia... solida et expressa, haec signa probitatis*»; *De divinatione*, 1, 57, 130: «*esse censem (sc. Posidonius) in natura signa quaedam rerum futurarum*». His igitur rationibus argumentisque «*signum*» (pro «*sed*») in illo loco orationis pro Archia poëta 3, 5 scribendum esse satis demonstravimus.

De legibus, 1, 9, 26 ita scribendum est: «(natura)... obscuras nec statas intelligentias enucleavit». Agitur enim de intelligentiis, id est de notionibus, quas jam Democritus in duas species divisit loquens de γνωμῇ σκοτίᾳ (= obscura) et γνώμῃ γνησίᾳ (= certa, stata). Cicero hoc loco vocabula negativa ad-

hibet: 1. obscuras, 2. nec statas (= incerta); pro «statas» scriba inscius falso posuit «satis».

De legibus, 2, 26, 64 ita legamus oportet: «De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius quam «ne quis ea deleat neve alienum inferat» poenaque est «si quis bustum —nam id puto appellari τύμπον— aut monimentum inquinaret aut columnam violaret, cacaverit, fregerit».

Iste Ciceronis locus maxime ob eam rem non recte corrigitur, quia tamen det de hoc loco verum dicere, quamquam veritas ipsa postulat, ut sensus obscurus horum verborum tandem illustretur; plerique vero philologi nesciunt in templis antiquis nonnumquam inscriptiones affixas esse, quibus immun-dities stercoribus urinisve fieri vetabantur; (cf. SUETONIUS: *Vita Neronis*, 56); ut brevis sim: «inquinaret», recte (pro voce absona: inquit) ponatur; denique «cacaverit» pro mutila forma «jacerit» scribatur; editio *De legibus* Ciceronis, quam KONRAD ZIEGLER (Kerle-Verlag, Heidelberg 1950) fecit, hoc loco erravit.

De officiis, 1, 35, 126 ita legendum est: «...quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae adspectum essent deformem habiturae atque formidamen, eas contextit atque abdidit (sc. natura)».

«formidamen» posui pro inepto vocabulo «formam», quod ex breviatione non diligenti vocis «form(id)am(en)» evasit; «formidamen» quadrat in horum intellectum verborum significans «terriculum»; legitur «formidamen» etiam apud Apulejum in *Apologia*, 64.

In *Lucullo*, qui liber alias inscribitur *Academica priora*, 2, cap. 14, 43 (pg. 88, 22, PLASBERG, Lipsiae 1908, Teubneriana) ita scribendum esse multo praestat: «definitiones enim et partitiones et locorum luminibus utens oratio, tum...».

Hoc autem loco «oratio» vi logica ornata nihil nisi «syllogismum» significat (= λόγος) sicut apud Gellium, 15, 26 «syllogismus est oratio, in qua... conficitur», atque illa oratio (=syllogismus) «locis» id est τόποις (cf. Aristotelis «Topica») utens a Cicerone supra laudatur; pro codicim scriptione «et horum», quod sensu caret, potius ad sensum convenit «et locorum» maxime quia notiones logicae «definitiones» et «partitiones» apte antecesserunt.

In *Lucullo*, cap. 14, 44 (pg. 89, 11, PLASBERG, Lipsiae 1908, Teubneriana) hoc modo textus verborum constituendus videtur esse: «ergo si rebus comprehensis et perceptis nisa et progressa oratio hoc efficit nihil posse comprehendti, quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis?».

Non «ratio», quod codices exhibent, sed «oratio» ponendum est, ut ex locis insequentibus pg. 89, 13 et pg. 89, 16 elucet et ulti ex verbis Gellii, 15, 26 supra allatis confirmatur: «syllogismus est oratio...» Praeterea vox «progressa oratio» lectorem revocat ad «syllogismum progressivum», qui in logica scholastica occurrit; ad extrellum dictu dignum est vocabula «orationem» et «rationem» persaepe a librariis inter se confundi, quippe qui scribæ voce «oratio» non raro actionem religiosam precandi intellexerint; his causis consideratis tandem «oratio» restituendum est. — AEMILIUS [EMIL] ORTH.

NAUSICAA

SACRIS · MANIBVS
D · D · ERNESTI · FOLIA
IN · PARMENSI · SEMINARIO · MAIORE
LITTERARVM · GRAECARVM
DOCTORIS
MAGISTRO · ALVMNVS

«Heu mihi, quid fiet me¹, quid mihi denique restat?
Hic igitur solus moriar, solamine cassus;
E patria procul, incultis projectus in oris?
Si totam noctem pelagi prope litus apertum
Permaneo, mihi nocturnus ros atque pruina
Ne noceant vereor; nam ventus frigidus halat
Ex fluvio; silvam si quae superimminet ampla
Conscendam, corpus multis et frondibus abdam,
Belua me rabido timeo ne devoret ore...»
Hos tristes fundens gemitus divinus Ulixes,
In lucum convertit iter sub nocte silenti.
Hic sibi construxit ramis foliisque grabatum,
Quem cernens, animo valde gestivit, et ejus
In medio cubuit, somno tum membra deditque.
Cum lux appeteret, Dea caesia, cuius Ulixem
Intererat multum natalia visere tecta,
Desilit in terras ab Olympi culmine lapsa
Et, gressus vertens Corcyrae regis in aedes,
Ivit ad auratum thalamum, in quo pulchra puella,
Nausicaa, Alcinoi, sub molle cubile jacebat,
Atque super caput illius stans, dulcis amicae
Aspectum sumpsit; mox anxia talibus infit:
«Quid te sic residem peperit, pulcherrima mater?...
Arte laboratas vestes cur neglegis? Instat
Jam tibi conjugii tempus, cum cingere pulchras
Te, talesque tuis sociis praebere decebit.
Ut primum caelo cernes albescere lucem,
Illas loturae simul amnis eamus ad undas.
Te sequar, e molli sed surge, pigerrima, lecto,

1. Cfr. BROTTO, *Thesaurus Latinitatis*: *Quid de me fiet?* *Quid mihi fiet?* *Quid me fiet?*
Cic. *Quid illo fiet?*

Atque precare tuos precibus votisque parentes,
 Ut servos jubeant currum mulosque parare,
 Qui tunicas, peplos, pallas, ad flumina vectent».
 His dictis, abiit Tritonia Virgo deorum
 Ad tutas sedes, ubi puro lumine caelum
 Ridet et irradiat semper sine nubibus aēr.

Jam jubar aurorae splendebat in aethere terso,
 Altaque rumpebant quandoque silentia galli.
 Nausicaa, aurato peplo, vaga somnia noctis,
 E lecto, memorans, surrexit et institit ire
 Per vastas aulas ut matrem cuncta doceret,
 Posceret et patrem currum mulosque superbos.
 Ante focum lanae torquebat vellera fuso
 Una cum famulis mater, gravis atque faceta
 Cum primum natam vidi sic ora revolvit;
 «Cur lecto surrexisti, mi dulcis ocella?
 Nondum conspargit claro sol lumine terras!»
 —In somnis, mater, vidi sub nocte Dymantis
 Filiolam valde quae me stimulavit ad undas
 Fluminis ire meas vestes ut mane lavarem,
 Propterea quod conjugii mihi tempus adasset!
 Nec satis est: juvenem de fluctu emergere vidi,
 Mercurio similem species et membra decora...»
 Dixit, et ad patrem festina puella cucurrit.
 «Nonne struas —inquit— mihi, care patercule, currum
 Ut lotura feram peplos vestesque?... Serenus
 Est aēr; mecum veniet dilecta Dymantis
 Filia; sollertes ducam atque laboribus aptas
 Servas. Nonne libet tibi cum consideris inter
 Primores nitidas et pulchras cingere vestes?...»
 De somnis autem patri nil dixit; at ille
 Omnia concipiens animo, respondit: «Habebis
 Quod quaeris». Servos dein convocat: «Ite, parate
 Nunc altum, famuli, currum: date pabula mulis».
 Interea famulae peplos vestesque ferebant
 Ad latum plastrum, suavi cum voce canentes,
 Ac studiosa parens vinum claudebat in utre,
 Multas atque dapes in cista vimine texta;
 Ampullamque dabat plenam redolentis olivi,
 Ut, post lavacrum, roseos perfunderet artus.
 Altum concendit currum regina puella,

Et validas scuticas et fortis cepit habenas,
 Et bis mulorum proscindit terga flagello,
 Qui moti sunt veloces; stridore rotarum
 Aēr insonuit. Notas cum venit ad undas
 Turma puellarum, mulos solvēre ministrae,
 Quos, ut gustarent viridantia grama, passim
 Miserunt propter spatiosas fluminis oras.
 Vester interea sumebat serva puella,
 Quas in marmoreas fossas mittebat, et illae
 Calcabant pedibus. Ponti sub litore, sordes
 Postquam lavarunt, illas ex ordine longo
 Straverunt, ut eas siccaret lumine Phoebus.
 Postea merserunt juvenilia flumine membra,
 Atque joci causa, pedibus manibusque vicissim
 Puras amnis aquas jactabant, aethera laetis
 Vocibus implentes circum dictisque facetis.
 Undis emersae, tesserunt corpora linis,
 Se perfuderunt oleis et, vestibus albis
 Indutae, teneris escam sumpsere sub herbis.
 Laetae deinde pila luserunt: omnibus ipsa
 Alcinoi soboles erat et dux atque magistra.
 Qualis per montes incedit Diana sagittis
 Gaudens, Taygeti per ripas aut Erymanthi
 Per silvas, agitat capros cervosque fugaces,
 Atque Jovis pulchrae Nymphae, dulcissima proles,
 Exsultant et certatim glomerantur in orbem,
 Ipsa quidem divas gradiens supereminet omnes,
 Latonae ut tacitum pertentent gaudia pectus,
 Pulchras sic inter famulas regina nitebat.

Jamjam sol medium concenderat igneus orbem,
 Cumque foret tempus redeundi, glauca Minerva
 Expulit herois somnos ut cerneret ipse
 Vultu Nausicaam pulchram, quae duceret illum
 Ad Phaeaces. Et sphaeram regina puella
 Jecit ad ancillas, erravit, flumen in altum
 Tum cecidit pila, quam rapuit celer impetus; illae
 Alte clamarunt; somno experrectus Ulixes:
 «Heu mihi, nunc ubinam sum? Quae gens incolit oras?
 Hospitium praebet peregrinis? Numen adorat?...
 Aspiciam proprius res». Sic ait inclitus heros,
 Et crassis manibus confregit ab arbore ramos,

Ut latus exutum tegeret sibi frondibus amplis,
 Exivitque foras. Quamvis salsugine spurca
 Horridus atque ferox esset, tamen ille puellis
 Obvius incessit, quae mox formidine captae
 Huc diffugerunt illuc per litora vasta:
 Sola tamen regis pulcherrima filia mansit,
 Cui vires animo indiderat Jovis inclita nata.
 «Te, supplex, regina, precor» —tum naufragus inquit—
 Non tibi mortalis vultus nec vox; dea certe:
 Si vero mortalis, o terque quaterque beati
 Et pater et mater; sed felicissimus ille
 Qui te, dote gravis, poterit conducere secum!
 Haud umquam vidi similem tibi, crede, puellam!
 Cui te componam? Miror. Vox faucibus haesit.
 Palmae succrescens germen prope Apollinis aram
 Tum Deli vidi, magna comitante caterva:
 Obstupui, quoniam numquam de semine tale
 Lignum succrevit. Sic te, pulcherrima, mirans,
 Obstupeo, genua ac vereor tua cingere supplex,
 Quamvis me nimium rerum discrimina vexent.
 Multum per pelagus ventis et fluctibus actus
 Erravi!... Multum!... Nunc me his deus appulit oris.
 Quae me conficiunt, sodes, miserere malorum...
 Da laceram vestem, nudatum corpus ut abdam:
 Urbem praeterea monstra. Regnator Olympi
 Det bona cuncta tibi: pulchrum, regina, maritum,
 Magna progeniem claram virtute futuram,
 Vastam mole domum, pia pax ubi regnet in aevum».
 Cui rursus virgo roseo sic ore locuta est:
 «Vir mihi nec stultus neque nescius esse videris,
 Qua re subsidio veniam tibi corde libenti.
 Haec loca Phaeaces habitant: fortissimus omnes
 Alcinous dominus, cuius sum filia, gentes
 Sub dictione tenet». Clara tum voce puellas
 Cirratas vocat atque jubet: «Mihi sistite: passim
 Cur omnes fugitis, magna formidine captae?
 Eja cibum potumque illi praebete, puellae.
 Ducite sed primum puras ad fluminis undas,
 Ac multas illi labes in fonte lavate».
 Illae venerunt, inter se voce manuque
 Laete ridentes exhortabantur. Ulixem
 In tutum duxere locum; fragrantis olivi

Ampullam plenam, vestes illique dederunt;
 Ast ille ancillis dixit: «Nunc longius ite...
 In vestris oculis haud umquam membra lavabo:
 Non homini denudari licet ante puellas!..»
 Cunctae riserunt verbis quae dixerat hospes,
 Et secesserunt rapida velocius aura...
 Interea puris mergebat corpus in undis
 Inclitus Aeolides, oleo corpusque linebat,
 Cingebat vestes, illi quas filia regis
 Praebuerat. Vultu meliorem reddidit illum
 Glaуca Minerva; comas demisit vertice crispas,
 Quae flori similes hyacinthi, lenibus auris
 Per validos umeros ludebant undique pulsae.
 Forma respiciens illum regina nitentem,
 Admirata vocat famulas: «Audite, puellae,
 Hic vir numinibus caeli par esse videtur!
 O utinam talem tribuant mihi fata maritum
 Indigenam, aut libeat nostra huic considere terra?
 Ast illi properae date nunc potumque cibumque».
 Sic ait ancillis. Dapibus dum vescitur ille
 Pulchras in curru vestes regina locavit,
 Dein mulos junxit, plastrum concendit et: «Hospes,
 Confestim surgas si urbem vis visere nostram,
 Atque domum patris, fulgentem marmore totam.
 Sed sic omnino facito: dum culta per arva
 Iverimus, mecum venies; prope moenia celsa
 Sed postquam concenterimus, per opaca viarum
 Solus iter perges. Murus turritus et altus
 Illam circumdat, portus utrimque patescunt
 Et sollemne forum, solido de marmore stratum.
 Hic nunc Phaeaces remos retinacula vela
 Servant: non curae est arcus neque magna pharetra
 Illis, sed naves, queis spumosa aequora findunt.
 Horum formido linguam, quod vulgus in urbe
 Est petulans, et quis fortassis dixerit: «Hospes
 Nausicaam sequitur. Phaeaces spernit et odit
 Rectius ipsa suum ducit si aliunde maritum!...
 Quae mihi non dubie fiant probrosa, viator...
 Auribus arrectis ergo mea percipe verba,
 Ad patrias si vis sedes quandoque redire:
 Populeum pulchrumque nemus prope Palladis aedem
 Inveniemus, aquis puris fons affluit illic,

Et circa pratum vastum viridantibus herbis.
 Sunt ibi florentes horti campique paterni.
 Sistere te, peregrine, parum tum convenit illic,
 Ad sedem donec veniam comitata puellis.
 In nostram venias urbem regisque require
 Tum magnas aedes; illuc te ducat et infans.
 Instar enim solis magno splendore nitescunt.
 Omnes vestibuli muros ex aere videbis,
 Amplos cancellos, ex auro in limine postes.
 Sunt ex argento vigiles utrimque molossi,
 Divus Vulcanus mira quos condidit arte;
 Laetaque regales aedes viridaria cingunt.
 Sunt ibi puniceae malii ficique pirique,
 Ex quibus haud umquam fructus perit: aura perennis
 Omnia fecundat spirans: dispergitur hortos
 Per cultos autem lymphae fons largus, et alter
 Ante domum nostram salit et procumbit in herbis.
 His illam facile poteris cognoscere signis.
 Ex famulis, hospes, unam sub limine linquam,
 Quae te in conspectum matris conducat; at audi:
 Illa quidem ante focum sedet acclinata columnae,
 Pensum purpureum versans, mirabile visu!
 Hic vero auratum patris solium adjacet illi;
 Ast, hoc neglecto, matrem ora poplite flexo,
 Si vis quam citius natalia visere tecta».
 Sic ait, et tutudit mulorum terga flagello,
 Qui nunc veloces, nunc mites, amne relicto,
 Passibus alternis currum fragore trahebant.
 Interea glauco properat se mergere fluctu
 Sol et dispergit radiata rosaria caelo.

Tropien, A. D. MCMLVIII.

FRANCISCUS ALOISE

D E O L Y M P I I S

Sollemnia Olympiorum cum anno 1960 in ipsa Urbe agantur, ex re lectorum videtur esse pauca de origine, ordine, fine ludorum afferre.

Alphaeus flumen, qua ex Arcadiae faucibus erumpit et in Elidis regio nem maritimam intrat, ea montibus silvestribus cingitur. Jam montem, qui ad Septentrionem spectat, antiqui Olympum vocabant et a diis habitatum putabant. Prisca illa aetate Oenomaus rex in Elide regnasse et Pisam urbem regiam eonstituisse traditur. Idem, cum Leucippum filium sorte iniqua sibi ereptum lugeret, Hippodamiam filiam anxie custodiebat. Nam vaticinatione perceperat sese a genere futuro iri interfectum. Quare ei soli proco filiam in matrimonium dare volebat, qui cum ipsius equis celerrimis certamen inisset. Quos nisi vicisset, vitam amissurum. Exploratum enim habebat se rapidissimum quemque aurigam superaturum. Jamque tredecim proci conatum capite luerant, cum Pelops, Lydorum rex Tantalique filius Pisam venit et Hippodamiam expetivit. Corrupit autem argento Myrtilum Oenomai aurigam, ut erum proderet. Myrtilus, Hermae filius callidissimus, ante certamen ineundum partem aliquam rotae ferream clam exemit et cera supplevit. Quo factum est, ut Oenomaus rex de curru excuteretur et a Pelepe hasta confoderetur. Ita Pelops Hippodamiam et regnum est consecutus. Ab eo certamine *ludi Olympiaci initium sumpsisse* dicuntur. Fertur quoque Hercules stadium ludis sacrum passibus mensus olivam plantasse, templum construxisse moenibusque, ut omne pronaum arceret, circumdassee. Posthac Graeci, licet inter se discordes, ubi lingua, moribus, religione, artibus in unius populi corpus coaluere, Olympiam et Jovis Olympiaci fanum tamquam centrum spiritale et locum ludis Olympiis maxime idoneum ducere, tempus Olympiadibus, spatium stadiis metiri coeperunt.

Ludi Olympii quinto quoque anno, primo post solstitium mense agebantur. Incipiebant die undecimo, concludebantur die decimo quinto. Adventante tempore sollemni legati per totam Graeciam exclamantes cursabant: «Jovis sollemnia redeunt. Quiescat omnis altercatio et omnis armorum strepitus. Expediti veniant peregrini ad Jovis limina». Dum Olympia celebrantur, ubique pax erat; quam si quis turbarat, a ludis arcebatur, quoad facinus magna pecuniae vi Jovi Olympiaco soluta expiasset. Prohibebatur quoque, quicumque sibi criminis conscientia erat vel in commune Graecorum bonum peccarat. Ideo Hieron Syracusarum rex, cum bello Xerxis abstinuisse, Themistocle auctore quominus ludis interesset, est prohibitus. Verum feminis non modo non interesse, sed ne spectare quidem licebat. Spreverat autem hanc legem severam Pherenice Diagorae pugilis clarissimi filia. Nam

induta luctandi praceptoris veste, filium Peisirrhodum in arenam duxit et incognita inter luctatores stetit. Sed simul atque filius pugillatione vicerat, omnem cautionem oblita et carceres transgressa victorem est amplexata. Verum judices, sexus feminei et Diagorae patris, pugilis illustrissimi memores, clementia sunt usi.

Urbes Graecae, quae ad sollemnia invitatae erant, clarissimos viros Olympiam legatos mittere solebant. Qui curribus magnificis vecti et vestimentis splendidis induiti Jovi Olympio praeclarissima dona nomine civitatum offerebant. Praecones constituti intra sollemnia divulgabant, quae late diffunderentur. Artifices opera in conspectu proponebant populo probanda, philosophi theses in concilio defendebant neque locum magis idoneum inventire poterat Herodotus enarrandis Graecorum cum Persis praeclare gestis quam Olympiam.

Cursores, aurigae, pugiles judicibus Elidis nomen dare et indicare oportebat sese in gymnasio aliquo Graeco per decem menses omnes exercitaciones lege praescriptas perfecisse, priusquam suae quisque turmae assignaretur. Ante ipsum certamen ad Jovis, juris jurandi tutatoris, simulacrum ducebantur, ut jure jurando affirmarent sese sine dolo certatueros.

Cursus per stadium citatus perdiu unicum certandi genus fuit. Accedebat postea cursus diutinus et ille «in ipsis armis» cursus. Demum subsequebatur «Pentathlon» i. e. *saltus longinquus, longus per amplum stadium cursus, disci pilique jactus, pugillatio*. Initio solis pugnis, post verum caestu certabatur nec prius finis quam alteruter humi stratus esset. Saepè accidit, ut inferior ex arena mortuus efferretur. Anno 648 a. Chr. n. «pugillatio una cum luctatione» inducta fuit, certamen quidem saevum et atrox, spectactibus autem gratum et acceptum. Olympiorum culmen aurigatio erat, quae ultimo die agi solebat. Rapidissimus enim aurigarum cursus illustrissimum omnium Olympiorum spectaculum erat.

Sive quis cursu citato, sive aurigis, sive pugno victor discesserat, *præmium ferebat ramulum olivæ*, quem puer superstite parente cultro aureo de arbore Herculi sacra abscondere consuerat. Vel semel serta Olympia reportasse vita dignum ducebatur. Deo enim sacra erant serta et quicumque illis fuerat coronatus, Deo sacer. Ludos Olympios diis fieri Graeci putabant. Venusta corporis membra, artuum convenientia, animi facultates, cantus, oratio deorum munera habebantur. Quidquid laudis et gloriae iis pariebatur, id omne jure diis acceptum referebant. Ideo Graeci, quoad eo de seruo Olympiaco animo certabant, fortes erant et vix vincendi. Quem ubi amiserunt, ramulus olivæ nil aliud erat nisi ornamentum.

Eleatae, cum Jovis templum dignius exornare vellent, Phidiam praeclarissimum antiquitatis sculptorem arcessivere. Qui Olympiae illustrissimum artificium, Jovis statuam duodecim metris altam, ex auro et ebore finxit, quam antiqui septimum orbis miraculum praedicare solebant. Emicabat enim

e Jovis vultu tanta tranquillitas et granditas, tanta venustas et serenitas, ut omnia artificia et res pretiosae, quas Olympiae populi pietas cùmularat, summopere vincerentur. Quicumque enim vel semel hanc statuam vidisset omnes aerumnas ac dolores oblivisci et ad supremum vitae diem felix et contentus manere dicebatur.

Jovis templum die 13 Nov. anno 426 post Chr. n. incendio deletum est. Verum statua praeclarissima Byzantium deportata nescio quo casu periit. Resistebant incendio columnae illustres et fastigium auro decoratum. Sed aliquot post annis ingens terrae motus «aream sacram» dire quassavit. Cecidere columnae, cecidere statuae, cecidit stadium celeberrimum, cecidit Olympia urbs. Dissiluere aggeres et Alphaeus flumen rudera et ruinas luteo tegumento cooperuit neque quicquam remansit, quod praeclarissimam majorum aetatem moneret. Sed ut terra reliquias thesaurorum Olympiorum sinu conservabat, ita homines graecis litteris exulti scintillam ignis sacri animis fovebant. Tamen Superorum beneficio accidit quod Pierre de Coubertin omnium nationum congressu Parisiis die 23, mense junio, a. 1894 habito omnium consensu effectit, ut Olympia quinto quoque anno sollemniter celebrarentur et omnes gentes humanitate imbutae invitarentur. Eodem anno vita cesserat Berolini Germaniae vir apprime doctus, Ernestus Curtius, de historia graeca meritissimus, cuius in pectore ignis ille ardentius flagrabat. Nam anno 1875 cum lectissima virorum manu Berolino profectus est, ut Olympiam effoderet. Initium fecit die 4, m. octobri. Fastigium Jovis templi effossum die 14, m. decembri; die 20, eodem mense, praeclara «Nike» artificis Paeonii. Sexennio post scripsit: «Munus historicum, ad quod eramus vocati, paene perfectum est. Patet topographia. Lucas sacer Olympius nobis magis cognitus quam forum Pompejanum. Olympia subterranea in lucem prodiit».

N. MANGEOT, e S. J.

DE MACIE ET PINGUEDINE CORPORIS

Personae: JULIUS, magister; AMMIANUS; TITIUS.

MAG. Cur macrescis in dies, Ammiane?
Titius pinguior est quam tu.

AM. Nihil mirum. Titius ad vescendum dumtaxat natus esse videtur. Ego autem inedia crucior cibique pecunia.

TIT. Quid ita? Aliena tibi vivendum quadra est. Hoc pacto jugiter comessaberis. Viden? Ego exilis fui ut bene nosti. Immo macie confectus paene

eram et vix ossibus haerebam. Recordaris?

AM. Est quod dicis: nihil praeter pellem et ossa habere videbaris.

TIT. Postea vero sine symbola cenare coepi et melius mihi fuit. Famem epulis sedavi aliquando tandem.

AM. Tibi gratulor ex animo. Habes enim cur tibi placeas. Sed me non juvat

nimis crassum obessumque esse. Sa-
tius est, ut reor, moderata tenuitas
corporis.

MAG. Ita quidem, Ammiane, sed modus
inest in rebus. Virtutes mediocritate
quadam contentae sunt. Quam ob-
rem ne quid nimis in obessitate quae-
rendum est, neque in gracilitate.

AM. Quicquid est, mea corporis macie
matris meae formam gero. Quo nihil
melius mihi videtur.

TIT. Tuae, dicas, matri similem esse? E
contra, meo quidem judicio patrem
lacertosum refers in totum!

MAG. Certe, Ammiane. Matrem nullo
modo facie refers. Quid quod ipsam
patris vocem exprimis?

AM. Esto. Patrem vultu, voce et incessu
refero.

TIT. Non tam ovum ovo simile.

MAG. Immo, ut fulica cygno, et aquilae
testudo.

AM. Esto, inquam. Aequo procerus ac
pater, sed mea gracilitate matri si-
milis sum. Quod, ut dicebam, honori
mihi est. Quae quidem tenui cibo
potuque semper est usa meque ab
incunabulis frugali victu contentum
esse docuit.

TIT. Verius dices, si confitearis te cotidia-
num victimum vendere, ut inde mala
tibi pares. Non es ergo vir pauci ad-
modum cibi.

AM. Credit latro omnes similes esse sibi...
Quia es sue voracior, credis me vo-
racissimum esse. Tu vero crapula
teipsum rumpis! Si quam obessus
crassusque es, tam esses etiam libe-
ralis, multos paravisses amicos.

TIT. En ut furis!

AM. Et quidem est quod expostulem et
succenseam!

MAG. Non possum risu abstinere. Cete-
rum alte in memoria vestrum om-
nium insedit, opinor, quae de adhi-
benda cibi potusque moderatione
disserui. Officit quamplurimum in-
temperantia nobis. Adiciebamque
earum domorum in quibus est ali-
mentorum copia, multos esse mures
ac feles. Similiter corpora, quae mul-
to cibo pascerentur, etiam multos
adsciscere morbos.

AM. Recte, domine, ac proinde est cur
Titius obessus frangatur pinguedine.
Praepinguis enim est, quasi ob eden-
dum factus.

MAG. O flagitosam hominum foedita-
tem! Nunc memini, quam macerrimus
ipse essem... «Quo fers, ajebant, is-
tam maciem, qua nihil turpius, nihil
deformius esse potest?». Re vera,
inedia immoderata et actiones men-
tis impedit, et corporis bonam habi-
tudinem plane corruptit.

AM. Verum, hujusmodi haec saecula
paucos proferunt: plena nimirum
comedonibus et combibonibus.

MAG. In hac re, mihi credite, medium
viam tenete; siquidem, tum gracilitas,
cum pinguedo aequo venustati et
corporis elegantiae officiunt, nam
«nihil prodest quod non laedere pos-
sit item». Venustas ergo et forma in
medio semper, ut ita dicam, steterunt.
Ad haec, ab ejusmodi ineptiis et scur-
rilibus jocis arcendi sunt pueri. Haec
enim prorsus abhorrent a liberalibus
ingenii. Ut interim faceam, quod his
verbis otiosis assuescant Deum toties
offendere, cum tamen se nihil pec-
care putent.

NOVA ET VETERA

SURRECTIO MATUTINA

Multo mane e lecto surgo.
Horologium excitatorium¹ prostat in mensula cubicularia.²
Hora septima tintinnabulo horologii e somno excitor.
Non numquam cum evigilo mihi oculi graves sunt, et quasi plumbeum
gerere caput mihi videor.
Sed sopori matutino numquam indulgeo; statuta hora surgo.
Signo me signo crucis.
E lecto prosilio; soccos³ induo ut commodius incedam: bracchia disten-
do, gymnicis exercitationibus corpus confirmo et duro.
Balneolum intro, vestem nocturnam⁴ exuo, lavatione pluvia⁵ corpus

1. **horologium excitatorium** [*despertador - réveil - sveglia - alarm-clock - Wecker*]: ad-
jectivum «excitatorius» alio sensu a sancto
Augustino usurpatum: «Excitatoriis quidam la-
bores» (AUGUST. Ep., 26, 2); cum vero «excita-
re», e somno suscitare significet, excitatorium
vel horologium excitatorium erit quod mane nos
e somno excitat. Quae vox in nonnullis lexi-
cis proponitur (Cfr. WAGNER, *Dictionarium*
Hungarico-Latinum, s. v. *ebresztőra*; *Societas*
Latina 2 (1933) 14). — MENGE-MÜLLER (*Lang-
genscheids Taschenwörterbuch*, *Deutsch*, s. v.
Weckeruhr) habent «horologium expergificum».
— Sunt qui suscitabulum probent (Cfr. STOLZ,
Arts Quarterly, V. I, 28): «Instrumentum quo
quis incitatur, id quod excitat» e somno (Cfr.
FORCELLINI, s. v.). — *Evigilatorium* vero, ver-
bum in *Alma Roma*, in PALAESTRA LATINA, alibi
propositum, novari et in sermonem latinum
induci non oportere censemus cum alta verba
superlus allata sufficient.


2. **mensula cubicularia** [*mesita de noche -
table de nuit - comodino - bed-table - Nacht-
tisch*]: Cfr. *Nova et Vetera*, opusc., pg. 27, n. 7;
apud veteres scriptores locutiones leges: «cu-
biccularius lectus, vestis cubicularia, cubicula-
ria stragula». — C. MARIANO (*Nuovo diziona-
rio italiano-latino*, s. v. *tavolino*) habet: «men-

sula nocturna», quae optime etiam usurpari
potest.

3. **soccos** [*zapatilla - pantoufle - scarpino -
slipper - Pantoffel*]: est genus calcei commo-
dioris, ligaminis expers, superiorem pedis par-
tem obtegens (cfr. PALAESTRA LATINA, 27 (1957)
165; si vis, adhibe etiam «calceolum». (cfr. G.
PASQUETTI, *Roma antica da vicino*, Palermo,
1936, p. 129).

4. **vestem nocturnam** [*pijama - pyjama -
pigama - pyjamas - Pyjama*]: Cfr. CAPELLA-
NUS LAMER, *Sprechen Sie Lateinisch?*¹¹, p. 20.
STOLZ, (*Arts Q.*, I, p. 30) habet «vestem persi-
cam», quae rei esse minus apta videtur.

5. **lavatione pluvia** [*ducha - douche -
doccia - shower bath - Dusche*]: respondet anglí-
cae locutioni *shower bath* et hispanicae —in
quibusdam Americae civitatibus—, «*bao de
lluvia*» (Cfr. COROMINAS, *Diccionario eti-
mológico de la lengua castellana*, Gredos, Madrid,
s. v. *ducha*): «lavatio pluvia vel lavatio im-
pluens» dici potest (Cfr. WAGNER, *Dictiona-
rium Hung.-Lat.*, s. v. *zuhany*); «lavatio pluvia-
lis» ab altis quoque est usurpata. Adjecti-
vum «pluvialis» ab Ovidio per translationem
adhibetur (*Metam.*, 4, 611): «Quem pluvio Da-
nae conceperat auro»). — Praeterea Wagner



- 1 labellum, i [lavabo]: «parvum vas aquarium, ad similitudinem labri, quo in balneis utebantur Romani».
- 2 trulleum (cum aquario) [palanganero]: est autem trulleum «vas ad manus perluendas; aquarium vero est «vas ad fundendam aquam».
- 3 aqualis, is [jarra, aguamanil]: «vas quo aqua manibus datur».
- 4 theca saponaria (cfr. infra).
- 5 malluvium, ii [palangana]: «vas in quo manus lavantur».
- pelvis: «vas aquarium variis rebus perluidis aptum».
- pelluvium, ii, pelluvia, ae [lavapiés]: «vas in quo pedes lavantur».
- 6 manutergium, ii [toalla]: «a tergendis manibus vocatur» (ISID. Orig. 19, 26).

His verbis rectius percipiendis cfr. FORCELLINI et RICH lexica.

abluo; e theca saponaria⁶ saponem⁷ sumo, palmis confrico, spumam elicio, corpus illino; aqua calida, deinde frigida lavor.

Sabano⁸ me involvo. Nunc melius me habeo; corpore et animo recreatus sum.

Ibidem habet: «balneae pensiles» et Bacci (*Lexicon*, s. v. *doccia*): «balneum pensile»; sed haec verba —quamquam accommodari possunt— altud apud Plinii et Valerium Maximum significant, sunt enim «balneae camerationibus et hypocaustis subjectis impositae».

6. **theca saponaria** [*jabonera* - *perte-savon* - *saponiera* - *soapdish* - *Seifenbehälter*]: Cfr. *Nova et Vetera*, opusc. p. 30-31 et *PALAEstra LATINA*, 24 (1954) 206. — Du Cange habet: «sapo, saponatum, saponarius, saponaria»; ex quibus P. Avenarius eruere conatur «saponare, insaponare, persaponare» (cfr. *PALAEstra LATINA*, 27 (1957) 30 et 32) quas tamen voces non omnes fortasse docti viri ultro accipient;

Corominas tamen probabilem habet vocem **exsaponare* (latinitatis vulg.), ex qua eruenda videtur vox hispanica *enjabonar* (cfr. *Diccionario*, s. v. *jabón*).

7. **saponem** [*jabón* - *savon* - *sapone* - *soap* - *Seife*]: Cfr. COROMINAS, *Diccionario...*, s. v. *jabón*. «del latín tardío *Sapo*, *onis*, id., tomando a su vez del germ. **saspón* — (alem. *Seife*, ingl. *soap*, etc.); la *j*- castellana, antigüamente *v*-, quizá se explique por influjo del verbo *xabonar* o *enjabonar*, que puede continuar un derivado lat. vg. **exsaponare*».

8. **sabano** [*albornoz* - *burnous* - *accapatoio* - *burnoose* - *Bademaniel*]: Cfr. HOLZER, *PALAES-*

Tonsores novacula barbam radunt, ego vero machinam rasoriam⁹ adhibeo; paucis abhinc diebus dono accepi machinam rasoriam electricam, qua in posterum utar.

. Deinde os dentesque eluo, quos penicillo perfrico; penicillo dentifricium¹⁰ impono; tubulis novae pastae dentariae¹¹ mihi ab amico est oblatus quam usu experiar. Sunt qui pulverem dentarium¹² aut aquam dentibus tergendi usurpent. Abluo os et gargarizo quo fauces purgantur.

Caput penicillo comatorio¹³ defrlico et furfures¹⁴ expello; capillos pectine pecto, in partes distribuo, apte ad laevam capillorum sulcum duco¹⁵.

Cum ungues prominent, forfice reseco, e cavo ungium sordes emundo et resectos ungues limula levigo.

TRA LATINA, 22 (1952) 14; STOLZ, *op. mem.*, I, p. 30. — «Sabanum est linteum, pannus ad terendum, aut fricandum, aut tegendum volvendumve, pezza, tovagliuolo»; cfr. FORCELLINI, s. v., ubi non nulli afferuntur scriptorum loci.

9. **machinam rasoriam** [*máquina de afeitar - rasoir de sûreté - rasoto di sicurezza - razor - Rasterapparat*]: licet ipse Cicero adhibeat «cultrum tonsorium» (Cfr. *De Off.*, 2, 7, 25: «cultros metuens tonsorios») ut novaculum significet et ideo illa nostrae aetatis machinula ad radendam barbam dici etiam posse «machina tonsoria» videatur, confusio tamen oriatur cum saepe et «tonsoria machina», qua capillos tondemus, et «rasoria» qua radimus barbam, eadem voce essent appellandae. Ex quibus intellegitur vocem «rasoriam», quamvis non purae latinitatis, adhiberi posse, nisi malumus «radula» uti: «instrumento, quo aliquid ex aliqua re raditur», quam P. Em. Jové, C. M. F., (PALAESTRA LATINA, 4 (1933) 40) olim adhibuerat.

10. **dentifricium** [*dentifrico - dentifrice - dentifricio - Zahnpulver*]: est «medicamentum, quo dentes fricantur, ut fiant candidi». (FORCELLINI, s. v.). «Putaminis cinere fit dentifricium» (PLIN. *Hist. Nat.*, 29, 3, 11 (46)).

11. **pastae dentariae** [*pasta dentifrica - pâte dentifrice - pasta dentifricia - tooth-paste - Zahnpaste*]: Cfr. AVENARIUS, PALAESTRA LATINA, 25 (1955) in operculis, post pag. 64; «pastam» dicimus, quae, quanquam farinam significat aqua subactam et in massam conversam, ad

alias similes massas merito aptari potest. — «Dentarius» est id quod ad dentes pertinet.

12. **pulverem dentarium** [*polvos dentífricos - poudre dentifrice - polvere dentifricia - tooth-powder - Zahnpulver*]: CAPELLANUS LAMER, *op. mem.*, p. 22 habet: «pulverem cretaceum; aquam dentibus purgandis».

13. **penicillo comatorio** [*cepillo de cabeza - brosse à cheveux - spazzola - hair brush - Haarbürste*]: Cfr. Nova et Vetera, opusc., p. 30. — *Comatorius* — *acus comatoria* — apud PETRONIUM (*Satir.*, 21) est.

14. **furfures** [*caspa - pellicules - forfora - drandriff - Schuppen*]: numero plurali adhibetur; et sunt quasi squamulae quae in plectendo vel scalpendo sine ulceratione a cute resolvuntur et decidunt. (cfr. FORCELLINI, s. v.).

15. **capillorum sulcum duco** [*raya - rafe - riga di capelli - parting - Scheitel*]: locutionem «hacerse la raya» ita interpretatus sum. — Sulcus «pœtice dicitur de aqua remigando diffissa, de undis crispantibus, de rugis cutis, de longo tractu alicujus rei, de orbita, similia... «Mirare tot in facie tua sulcos rugarum» APUL. *de mag.* 429. OUD.). Cfr. FORCELLINI, s. v., quae vox ad capillos transferri quoque posse videtur. Tamen apud Ovidium (*A. Amat.* 2, 303) *discrimen comae, discrimin capillorum* scriptum legitimus, eaque locutio doctis viris fortasse probabilior erit; cfr. etiam PALAESTRA LATINA, 24 (1954), 229.

Ex tendiculis¹⁶ excipio interulam¹⁷, subuculam¹⁸, femoralia¹⁹, quibus statim me induo. In vestiario²⁰ repositus est vestitus ex corporis mensura confectus²¹, quo hodie utar.

Sed aestivo tempore bracas²² cingulo constrictas gestare consuevi; aliquid strictoriam²³ laneam adhibeo.

Famula calceos extersit, cretam sutoriam²⁴ peniculo imposuit calceosque nitidavit²⁵.

Exuo me soccis, induo pedulia²⁶, perisceliis²⁷ suspendo.

Cum calcei sint breves et angusti, sinistra manu lingulam contineo: dextra, inductorio²⁸ usus, calceos facilius in pedes induco, quos vinculis

16. **tendiculis** [colgador - porte manteau - attaccapanni - coat-hanger - Klammerständer]: improprie *tendiculae* sunt perticae quibus fullones vestimenta distenduntur (FORCELLINI, s. v.); qui sensus ad rem nostram facile aptatur. Fortasse et *uncinulus*. Cfr.: «Hic tapes de partete cadet tot passim adjunctis annulis quibus ad *uncinulos* suspendebatur» (PONTANUS, *Vestientes se, Guide de la conversation latine*, p. 33).

17. **interulam** [camiseta - tricot de corps - camiciuola - vest - Unterhemd]:

18. **subuculam** [camisa - chemise - camisia - sgirt - Hemd]:

19. **femoralia** [calzoncillos - caleçons - mutande - pants - Unterhosen]: est sane apud scriptores diversa ratio has voces interpretandi; quas proponimus, aptiores arbitramur.

20. **vestiario** [armario ropero - armoire - armadio - warbrode - Kleiderschrank]: est locus in quo vestimenta servantur (Cfr. FORCELLINI, s. v.).

21. **vestitus ex corporis mensura confectus** [vestido hecho a medida - habit fait sur mesure - vestito su misura - clothes made on measures - Massanzug]: Cfr. HOLZER, PALAESTRA LATINA, 22 (1952) 146.

22. **bracas** [pantalones - pantalon - pantaloni, calzoni - trousers - Hosen]: quae vox est omnium usu trita.

23. **strictoriam laneam** [jersey - jersey - jersey - jersey - Unterjacke]: Cfr. HOLZER, PA-

LAESTRA LATINA, 22 (1952) 148: strictoria vestitis est quae corpori adstringitur nostraque rei bene aptatur.

24. **cretam sutoriam** [betún - cirage - cera - shoepolish - Schuhwichse]: dicitur etiam *melantaria* (Cfr. FORCELLINI sub hac voce); MARIANO (s. v. pulire le scarpe) habet: «cerare», «cera circumlinere calceos»; «ceram» quoque proponit HOLZER (PALAESTRA LATINA, 22 (1952) 147); «cera» tamen hac significacione in lexicalis et glossariis haud facile scriptum leges.

25. **nitidare** •est nitidum et lucidum reddere», adhucetur a Columella (R. R. 12, 3, 9: «et ferramenta detersa nitidentur atque rubigine liberentur»); alii quoque scriptores recentiores hoc verbum usurpat.

26. **pedulia** [calcetines - chaussettes - calzetti - socks - Socken]: aptius videtur vocabulum a multis jam usurpatum.

27. **perisceliis** [ligas - jarretières - giarrettiere - suspender - Strumpfänder]: quamquam altud olim significavit, ex vocis etymo (*περιφέλος* = crura cingens) ad rem nostram designandam aptari potest; «periscelium» a Terulliano usurpatur.

28. **inductorio** [calzador - chausse-pied - calzatoio - shoehorn - Schuhlöffel]: «Inductoriū» altud apud veteres significat (Cfr. FORCELLINI, s. v.), sed verbi «inducendi» sensum hic retinet: «ducere in», quo sensu apud Pontanum legitur (*Vestientes se, Guide*, p. 330: «Da inductorium, calcei sunt angusti et breves»).

obligo, nodumque laxum geminum²⁹ efficio ne calcei e pedibus decident.

Bracarum et thoracis manicati³⁰ globulos³¹ suis ocellis³² indo.

Vestibus indutus pia precatione Deum oro: «Duc nos, Christe, hodie per viam justitiae et gratiae tuae».

Hora octava jentaculum sumo, poculum lactis et cafei³³ cum butyro et crustulis³⁴.

Tandem domo exeo, ad operam, ad officium meum me confero.

Salute data amicis et sociis, labori totus incumbo usque ad meridiem.

29. **nodum laxum geminum** [doble lazada]: Cfr. A. VIVES, *Exercitatio linguae latinae*, I, *Surrectio matutina*.

30. **thoracis manicati** [chaqueta - jaquette - giacca - jacket - Jacke]: dū multumque hanc vocem mente volutavi, quam scriptores alii alia ratione proponunt; «thorax manicatus, thorax americanus», aptiora videntur verba. (Cfr. *Nova et Vetera*, opusc. p. 14).

31. **globulos** [botón - bouton - botón - button - Knopf]:

32. **ocellis** [ojal - boutonnière - occhiello - button-hole - Knopfloch]: quae voces a Ludovico Vive, Pontano, alisque multis adhibentur.

33. **cafei** [café - café - caffè - coffee - Kaffee]: varie scribitur et enuntiatur haec vox: *cafēum* (*Nova et Vetera*, opusc., 28-31), *cafaeum* (MARIANO, A. GUERCIO, *Feriae Anticollenses*, «taberna cafaearia», p. 15); *cōffea* e littera cor-recta quae ita latine efferri videntur ex appellatione seu pronuntiatione anglica; *caffēa*, quae ita scribitur, e producta, in opusculo Sprechen

Sie Lateinisch?¹¹, pg. 9; proferenda vocis ratio in prologo (pg. VI) probatur et cum verbis exteris (Colosseum, Mausoleum) confertur. Cum vero vox *coffea* a Linneo inducta sit, honore quodam et reverentia a viris doctis est excepta, eamque retineri oportet in libris praesertim qui ad florum et arborum disciplinam spectant; *coffeam* adhibent C. MARIANO, G. LURZ (*Societas Latina*, 17 (1952) 11), AVENARIUS (*Palaestra Latina*, 25 (1955) 162. — Ceterum *cafēum* appellari praestat cum in lingua latina alia sint verba extera quae e productum habeant (*Aristotelēus*, *Epicurēus*, *conopēum*, *cine-matographēum*, cet.); eaque scribendi ratio vocis originis convenit; compertum est enim vocabulum ex Turcis — a quibus *Kahvē* dicitur — in italicum et gallicum sermonem esse induitum; Turcae vero nomen ab Arabibus sumpserunt (*qahwa*, Cfr. COROMINAS, op. mem., s. v.).

34. **crustulis** [bizcocho - biscuit - biscotto - biscuit - Zwieback]: Cfr. MARIANO, BACCI, BICNE (*Vocabulario della lingua latina*, Milano), alios

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

PER ORBEM

Alter Conventus «Internationalis» Latinitati vigenti fovendae. — Primum locum teneat alter Conventus «Internationalis» vigenti latinitati fovendae, qui congregabitur hoc anno, m. Septembri. Sed audi vel ipsum Joannem CAPELLE rem faustissimam nuntiantem:

«Secundum conventum omnium qui viventi linguae Latinae student Lugduni celebrandum esse die 8^o, 9^o et 9^o mensis septembris 1959 juvat nos nuntiare.

Quid ex avenionensibus propositis assecutis simus in illo proximo conventu considerabitur. Deinde diligenter hoc thema contemplabimus: linguam Latinam efficax ad hominum commercium fovendum instrumentum singillatim in duobus locis habet; priore loco eam inter viros scientiarum peritos communicationi prodesse, posteriore inter diversorum gymnasiorum vel gentium studiosos juvenes sive in

colloquiis, sive scriptura sermonibus disputationibusque eamdem fovere.

Conciliū participibus cubicula plurima ponnamque simul et auditorium amplum et atria praebere poterunt maxima aedificia novae scholae cui nomen est «Institut National des Sciences Appliquées», etiam pretio modico (trium dierum victus 5 000 francis fere totus constabit).

Sodales avenionensis conventus et viventis latinitatis amicos multos Lugdunum speramus esse venturos, illosque hortamur ut de thematis electis aliquo loco orationes meditentur.

(*Vita Latina, Janvier, 1959*, p. 5).

Verba movent, exempla trahunt... En vides Joannem Capelle, virum machinatorem, qui Institutum Nationale inventis scientificis usui accommodandis moderatur, mirificum opus, de quo forsan alias verba faciam quem «technicum» omnino credas, sua opera et studio sibi linguae Latinae comparavit cognitionem et usum, qui et verbis et —quod majus est— exemplo latinitatem vigentem tutatur et instaurari debere nostra aetate pro viribus contendit, qui firmiter mordicusque tenet Latinam linguam utilem esse et unum vinculum quo homines inter se conjungantur et mutuo doctrinas et inventa «technica» commoden, qui non vanam spem id futurum sperat, sed aliquando ad rem veritatemque traductum iri.

Igitur, mi lector, Lugdunum conveniamus... Quod quidem utinam mihi tibique liceat!

Consociatio «Vita Latina» appellanda coorta est opera et studio ejusdem Joannis CAPELLE, qua et studium et usus linguae Latinae per orbem provehatur. Cujus Consociationis participes et amicitiam qua vinciantur per trimestres commentarios VITA LATINA nuncupatos fovebunt, et res communis pertractatur tertio quoque anno exacto in colloquia loco et tempore designando convenient. Consociationis statuta et regulae quibus moderentur in commentariis VITA LATINA, m. Sept. a 1958 prodierunt, p. 134 sq.

Commemoratio Ciceroniana. — Longius est enumerare omnia quae de Cicerone scripta sunt vel peracta ad ejus celebrandam extollendamque memoriam. Quibus luculentissime patet quanti etiam hac nostra aetate valeat quantique aestimetur Cicero. Nam praeter commentarios vel partim vel omnino ipsi dicatos (ut fasciculus commentariorum HELMANTICA, IX, a 1958, m. Sep.-Dec. et HUMANIDADES, m. Jan. - Aug.), Londini Instituto Classicis studiis provehendis curante, Matrii Instituti «Fundación Pastor» appellati opera, Salmanticae, Cluniae aliisque bene multis locis contionibus, disputationibus Cicero studiose observatus est et cultus.

Quem vel ipsius fortunae fatis celebratum esse dicas, cum manu scriptum necopinato inventum sit Cremonae ab spectata femina et magistra Elisabeth PETTENAZZI, in quo manu scripto leguntur sat multae reliquiae Ciceronis libri, c. t. BRUTUS, cuius scriptura sex saltem saeculis ante exarata est quam manu scripta adhuc veterima aestimata.

Ut finis commemorationi Ciceroniane imponatur, colloquia habebunt Vicentius ARANGIO RUIZ de Cicerone jurisperito, et Felix BATTAGLIA, de Cicerone in cogitando assiduuus.

In annuis cursibus lectionum in Instituto Romanis studiis provehendis, disputat hoc anno Dr Vergilius PALADINI «de coniuratione Catilinae in litteris»: nempe de conspectu historico, de Cicerone adversus Catilinam, de Sallustio et coniuratione. Camillus vero CORSANEGO de Ciceronis actione in Verrem.

At non omnia his absolventur quae diximus. Deest enim quod praecipuum et maximi momenti sine dubio est:

Conventus ex omnibus nationibus Romae mense aprilii habendus a die IV Non. ad VII id. a. MDCCCLVIII. Facillimum esset nuntios per orbem dare si omnes in laudanda illa et certe optanda latinitate inscriptos inveniremus qua hic palam fit nuntius. Lege ejusque delectare lectione sapidissima:

«Quae omnia Collegium Studiis Ciceronianis provehendis bis millesimo a Ciceronis morte anno excogitabit atque paravit adeo benigno studio communique plausu sunt excepta, adeoque feliciter evenerunt ut nobis plura ac constitueramus perficere visum sit.

Quare, postquam auditionibus acroasibus-
ve summam orationis extimam philosophi-
rhetorisque laudem celebravimus, postquam
liberae rel publicae studium illustravimus,
quo potissimum ille flagravit; postquam eru-
ditissimorum virorum consociata opera ejus
scripta recensenda atque emendanda censu-

mus, ut eorum oratio, ea qua possit diligentia
constituatur, post haec Collegium nostrum
censuit litteratissimum quemque virum invi-
tare, ut Romam ex omnibus nationibus, undi-
que terrarum, conveniret.

Ubi sex per dies, proximo anno, (ege mo-
do «hoc anno») aprilii mense ineunte, exponet
quisque quid de Ciceronis scriptis emandan-
dis explanandisque invenerit, quid de aesti-
mandis judicet, quid de Cicerone oratore,
rhetore, philosopho, jurisperito sentiat, quid
dentiue ad ejus aetatem illustrandam sibi
conferendum videatur.

Qui rei nostrae faverint studuerintque, nomenque suum dederint, qui conventui adesse statuerint, qui —sermone latino usi vel anglico, gallico, germanico, hispanico, italicico— aliquid de propositis argumentis pertractandum sibi vel disputandum in acroasi decreverint, qui, denique, de re universa maturius

rescripserint, nobis id pergratum fore sciant; praesertim cum singula de conventus partibus, singula de itinere, de deversoribus, de qualibet ad conventum re pertinenti sint nobis, ad tempus, nec non quam optime, apparanda.

Alter a praeside Hyginus FUNAIOLI.

Praeses Julius ANDREOTTI.

Ciceroniana. — Quos saepe nuntiavimus brevi a Collegio Ciceronianis Studiis Provehendis edendos commentarios, nunc editos nuntiamus, qui nomine CICERONIANA distinguentur, quique ab Hygino Funaioli et Vergilio PALADINI moderantur, in quibus ea omnia quae ad Ciceronem quoquo modo expectant aptis commentationibus rectaque existimatione disputabuntur.

Inter scriptores plurimos eosque clarissimos, Hispanus vir J. Guillén censemur illustris Ciceronis investigator. Optima quaeque novis commentariis ominamur ex animo.

IX Congressus Internationalis Papyrologorum. — A die XIX ad XXII m. augusto superiore anno convenerunt optimi papyrologi in urbem Oslaum (*Oslo*) ut quaestiones evolverent ad papyros pertinentes et illa innotescerent quae annis his extremis inventa sunt et investigata. In hoc Conventu id propositum est Corpus quoddam (seu ut ajunt Collectionem) papyrorum graecorum, vel saltem Corpuscula separatim edita, quo vel quibus omnes facile reperiri possint papyri graecae.

Hoc maxime notandum duxi binas saltem commentationes seu, ut ajunt, relationes, sermone latino eleganti et perpolito habitas esse a Dre. CALDERINI cum filia Rita, et spectata domnula MONTEVECCHI.

Proximus Conventus habebitur —ita placuit papyrologis— Varsaviae in Polonia a. MDCCCCLXI utpote cum in ea urbe studiosissimi viri papyrologi siue doctissimi inventantur.

Comoediam illam Menandri poëtae quae olim periisse putabatur, nuper repartam, cui est index *Dyscolus* brevi editum iri a Cl. v. Victore MARTIN maximo accepimus gaudio. Quae comoedia cum casta sit et intellectu facilis perfectaque discipulorum manibus versari brevi poterit.

Accepimus etiam Thesaurum Linguae Graecae, qui Hamburgi, Professore SNELL moderante paratur, mox locupletatum iri fasciculo III Lexici Homerici.

VII Conventus Archaeologiae Classicae congregatus est Romae et Neapoli diebus 6-13 m. Sep. anno MDCCCLVIII. In eo praestantissimi viri fuerunt BOETHIUS, qui egit de Romanorum architechtura rei publicae ae-

tate, MARINATOS, MATZ, DIUSMOOR, BLAWATSKY, GARCIA BELLIDO aliisque.

Oxonii a die 21 ad 26, m. Septembri, hoc anno 1959 conveniet III Conventus «Internationalis» *Studiorum Patristicorum* provehendis.

In urbe Ibadan, in Nigeria conditum est Institutum «University College», appellatum, in quo studium maximum litteris humanioribus et latinis et

graecis colendis tribuetur. In hac natione Africana jam pridem constituta erat Consociatio Classica Nigeriana.

Commemoratio Ovidiana. — Etiam commemoratio Ovidiana in dies celebrari perrexit. Nam tandem editum est opus illud *Ovidiana, Recherches sur Ovide*, quo, Dre. HERESCU moderante, plurimae eaeque optimae commentationes continentur, ab eruditissimo quoque viro conscriptae Bucarestini et ad Brigantinum lacum multis acroasibus, versuum Ovidii recitationibus, aliisque modis, Ovidii memoria revocata est. Item Athenis Dr. SKASSIS conditionem de Ovidio poëta habuit luculentam; Romae in Capitolio publice commemoratio celebrata est habuitque acroasim cl. v. Hector Paratore.

Ad Ovidianam commemorationem pertinet dissertatio in commentariis *Studi romani* cui est index: «*Tomi al tempo di Ovidio*», ubi poëta exulavit. Tomi «*Barbarus* — inquit Ovidius — *sum ego, qui non intellegor ulli, et rident stolidi verba latina Getae*». Ibi nihil aliud videbat quam campum quemdam immensum «*in forma maris*», nam «*non hic pampinea dulcis latet sub umbra; poma negat regio*». Quae tamen urbs brevi maxima effecta est et una ex pulcherrimis urbibus. Commentatio haec cuius auctor est RADU VULPE utilis erit his qui Ovidium exulantem melius penitusque perspicere velint.

Poetae latini nostrae aetatis. — Cl. v. J. IJSEWIJN¹ cuius nomine et commentationibus honestari cooperunt commentarii nostri, quos et in posterrum honestatum iri speramus, animum induxit recentiorum poëtarum opera in unum colligere. Ardua sane res et unius viri certe superans vires, non quod plura sunt haec carmina numero, sed quia diversissimis locis dispersa. Qua re haec conquirit — quod placet omnibus significare—:

• Ideo latinae linguae cultores appello pro que sua quemque humanitate oro ut si quid ad poësim nostri saeculi latinam pertinens habeant, praesertim si faciliter nos fugere posse videatur, nos hac de re doceant. Haec autem conquiror:

1. *Carmina omnia cujuscumque generis.*
2. *Opuscula prosa oratione conscripta* quam meram scientiam non spectent, sicut

orationes, inscriptions, litterae litterariae, fabulae.

Nullius vero momenti duco sint opuscula statim latine exarata sintve ex aliis linguis in latinam conversa.

Cunctis denique latinitatis recentissimae studiosis scidulas meas promptas propositas que habeo.

J. IJSEWIJN, Stationsstraat, 62. ZWIJDRECHT (Belgium) (*Vita Latina*, Sep. 1958, 129).

Qui in iisdem commentariis m. Januario pg. 15 cum «*de latinitate hodier na*» sermonem instituere occuperit, haec habet, quae multos sane commodo esse poterunt ut se saltem ab impugnatoribus tueantur:

1. Cl. v. J. Ijsewijn nos rogit ut legentes corrigerem velint in superiore fasc. 164, p. 451: «quibus addi possumus», in aptam locutionem «quibus addi possunt».

«Considerantibus nobis quae sint causae inefficacitatis laborum latinitatis studiosorum, ut linguae nostrae communi honos restituatur avitus, duae praesertim occurunt:

Quarum prima (hanc ego tantum exscribam) est desidia illa perniciosa multorum etiam latini sermonis professorum, qui lin-

guam emortuam esse contendunt, nec ad captum discipulorum satis accommodatam. O miserandos discipulos, qui tanto stultiores facti sitis quam praecessores vestri XV saeculorum! Attamen veremur ne discipulorum hebetudinem propriae imperitiae queruli illi praetendere conentur».

Vigentem igitur profiteamur latinitatem ne desides merito et hebetes videamur nobis... et aliis summa auctoritate viris...

Certamen Vaticanum Tertium. — Ut superioribus annis, linguae latinae cultores ad tertium Certamen Vaticanum invitantur. En vobis index argumentorum pro unoquoque Certamen potentium ordine:

Il docentes viri ceterique latinae linguae periti, qui soluta oratione uti velint, ex his quinque unum deligent argumentum: *Ingenium est Cicero, quod populus Romanus par imperio suo habuit.* - *Quem locum, post eius mortem, Ciceronis Latinitas obtinuerit apud ceteros scriptores.* - *Unde Lucretius poetam vim hauriat praecepit et exprimat.* - *De vita et operibus alicujus elegantis scriptoris Latini recentioris, minus quidem noti, at digni.*

Alia quinque argumenta quibus ex eodem ordine versus condere placuerit: *Homo beneficentissimus suos oculos moriens pueru caeco testamento legavit.* - *Mors et vita (nidus in cupresso).* *Pyrobolo vi atomica disploso horrificum spectacu-*

lum per visum de repente fit obvium oculis. - *Quid elapsae aetatis moneant casus, quid futuri aevi spes pollicetur.* - *Satiricum carmen de sciollo loquacissimo.*

Pro alterius vero ordinis petitribus una ex his materiis diligenda et oratione soluta tractanda proponitur: *Quantum Latino lexico eum tribuere oporteat, cui sit Latine scribendum.* - *De cursu maritimo lintris subaqueae, cui nomen «Nautilus».* - *De novis inventis in arte cinematographica.* - *Hanc Ovidii sententiam commenta- mini: «Donec eris felix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris» (Tris., I, 1, 39-40). - Describatur appulsus magnae navis ad portum ejusque e litore profectio.*

Scripta mittantur ad Commentariorum sedem: *Direzione Latinitas, Città del Vaticano.* Tempus exemplaria mittendi: Cal. Jan. Anno MDCCCLX.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

COLLECTANEA

Summa animi reverentia, firmo amore, certa et indeclinata fide JOAN-
NEM XXIII, Pontificem Maximum, libentissimis animis salutamus, eique
dum fausta omnia a Domino precamur, illo nos quoque paterno foveat ac
prosequatur amore, rogamus, quo omnes Christi oves auguralibus sui Ponti-
ficiatus verbis nuntiat se amplecti. Quae quidem verba non tantum filiorum
amore sed etiam summo gaudio leges, si optimam exquiris ac sapi latinita-
tem:

•Prope maxima Apostolorum Principis
monumenta convenimus, cuius supremum
munus Nobis, utpote ejus Successori, concre-
ditum est; ac Petri vocem hac memoranda ho-
ra Nobis audire videmur, quasi saeculorum
cursum transvolantem; utriusque etiam Joani-
nis vocem libenter veluti excipimus. qui Divi-
no Redemptori propinquiores fuerunt ac sunt,
et quorum suave et honorificum nomen Nobis
indere placuit.

Hicse autem diebus, arcanis eventibus tre-
pidationeque plenis, dum aures praebemus
Nostras vocibus innumeris, quae ab hominum
multitudinibus ad Nos perveniunt, si ex una
parte communis laetitiae sensus significatio-
nesque, quibus Nostra ad Summum Pontifi-
catum evectio consalutata est, haud parum
Nobis solacii afferunt, ex altera vero anci-
pitem et anxium Nostrum efficit animum mul-
tiplex ea ingentium munera varietas, quae
in Nostros incumbunt umeros; munera dicim-
mus, quae hinc inde Nobis diversis modis
significantur et quae alii aliter intra certos
definitosque terminos proponunt pro suo cu-
jusque ingenio, pro gerendarum rerum expe-
riencia et pro peculiari ratione, qua ipsi vel
singulorum vel ipsius societatis vitam intelle-
gunt. Sunt enim, qui Pontificem potissimum
praeoptant vel in publicis civitatum rebus
procurandis versatum, vel rei diplomaticae
peritum, vel variarum omnium disciplinarum
scientia praeditum, vel ordinandae communis

omnium vitae prudentem, vel talem denique
Pontificem, cuius animus omnia progradientis
aetatis incrementa, nullo debito discrimine
habito, amplectatur.

Attamen, Venerabiles Fratres et dilecti
filii, si omnes minime illud prosequuntur iter,
quo incedere oporteat, cum Summi Pontificis
speciem sibi fingant, quae recto consilio pro-
positoque haud sit plene consentanea.

Etenim novus Pontifex per sue vicissitu-
dines vitae illi Jacobi Patriarchae filio compa-
rari potest, qui fratres suos gravissimis affec-
tis aerumnis coram excipiens, eis se amantem
et complorantem ostendit, dicens: «Ego sum...
Joseph, frater vester» (Gen. 45.4). Novus Pon-
tifex, dicimus, imprimis Evangelicam illam
praeclarissimam imaginem in se refert, qua
Bonus Pastor a Joanne Evangelista his verbis
describitur quae ex divino Salvatoris ore pro-
fluxerunt (cfr. Jo. 10, 1-21). Ipse ovilis ostium
est: «Ego sum ostium ovilum» (Jo. 10, 7). Hoc
in Jesu Christi ovile, nonnisi Summo Pontifi-
ce ductore, quisquam ingredi potest; et ho-
mines tum solummodo, cum ei conjunguntur,
tuto possunt salvi fieri, quandoquidem Ro-
manus Pontifex Vicarius est Christi, ejusque
in terris personam gerit. Quam dulce, quam
suave est illam Boni Pastoris imaginem men-
te repetere, quae in Evangelii narratione tam
exquisitis allicentibusque verbis describi-
tur!..

Collegit JACOBUS SIDERA, C. M. F.

B I B L I O G R A P H I A

BRINK, C. O. — *Latin Studies and the Humanities*. Cambridge University Press, 1957.

Libenter hujus opusculi lectoribus notitiam damus; et ut in illo legendo, quae nos animo grata sumus experti, et illi sentiant optamus. Libellus, etsi parvus, magnam vim habet, quae hominem clamat litteratissimum. Magister non scienter scientibus, sed ex animi sententia quid ipse sentiat multis locis exhibet. Ideoque potius luculente suadet quam aperte convincit.

Et ita agit de textuum latinorum critica in verbis tractandis, de latinitatis studio ut inquisitione historica, de litteris romanis collatis cum aliis disciplinis quibus in magnis studiorum aedibus opera datur. — Liceat aliquas nos addere ipsius scriptoris sententias latine redditas: «Nihil magis a veritate abhorret quam ut credamus operum editionem his criticis instrumentis feliciter exituram», quia «in critica exercenda, nimia textus propinquitas periculum parit ne visio ipsa vitetur et torpeat...». Tria textuum criticae genera inter se confert, quibus inquisitione historica accedit oportet, omnesque scriptores, etiam minimos, considerando esse asserit; nec praehistoria aut oralis poësis neglegenda. Quod, exempli causa Aeneidi Vergili applicat, idemque cunctis litteris convenire aestimat

Permulta alia maximi momenti monitis consiliosque plena habet, etiam aliis disciplinis utilia, uae utinam ab ipso c. v. Brink responsum habeant.

Enciclopedia «Estudio y Concurso». Diccionarios completos especializados. Editorial Tip. Cat. Casals. Barcelona, 1957.

Sunt libri praecipue ex utilitatis studio exarati; parvi ergo, qui in sinu facile recondi et quovis loco usui esse viliique emi possint; sunt etiam variis colore. Multa continent documenta statim deducenda maximeque utilia.

Non tamen nostra, quae ex titulo quaeras, in eis invenies.

Jam in *Diccionario del Sontoral* (M.º J. C. L.) reperies quo die Ecclesia sanctum caelitem celebret, qui propinquus vel amici Patronus sit ut possis ad eos, etsi non Joseph nominentur, litteras mittere gratulatorias. Margo est consulto notationibus relicta. Utilis liber. Nihil mirum si in tam parvis paucisque pagellis non nulla nomina desint.

In *Diccionario de Hombres célebres, Políticos y Reyes* (M. PEREDA), disces quo tempore vixerit rex vel homo illustris in re publica administranda, quibus insignis rebus, cujus familliae aut nationis fuerit. Completur alii duobus libris quibus viri scientis, litteris, artibus clari recensentur. Quidam etiam philosophi in hoc libello inducuntur.

In *Diccionario Geográfico de España* (M. PEREDA) compertes praecipuas tantum civitates, municipia, montes, flumina, cum incolarum numero, magnitudine aliiisque id genus.

Sunt quoque accurate editi emendatisque. Qui omnes emat utile sibi comparabit auxilium in libris et foliis diurnis legendis cum, uti fit, aliquid ignoret vel non satis recordetur.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

BABBITT, FRANK COLE. — *Plutarch's Moralia*, V. W. Heinemann, London, 1957.

Optimorum scriptorum series LOEB inscripta tam est ab omnibus nota ut eam laudibus honestare minime necessarium arbitremur. Idem atque in aliis libris brevis selectusque apparatus criticus; eadem sub pagellis cum breves tuum eruditione refertae notationes quibus vel hujus alterumque scriptorum loci, aut interpretationis explicatio, vel alterius ratio adjiciuntur; denique eadem nitida et per pulchra typographia. Fatemur semper eadem voluptate et oblectatione hujus corporis volumina a nobis legi.

Hic tomus V claudit, ut mos est, libellos de Tside et Osiride, de E Apud Delphos, de Pythiae oraculis, de defectu oraculorum, quibus singulis praefatio de Plutarchi opusculo ejusve adjunctis summatis aliqua continens praemittitur.

Translatio —nequaquam facilis labor—, accurata est et aperta quippe quae ex graeco circumitu longiore in angulum studiose arte et ingenio conversa, effluat quasi incisim copiosus; quo pacto ita in melius est mutata oratio ut, quasi ipsam graecam antellecere dicas.

Index nominum librum finit.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

RIPERT, ÉMILE. — OVIDE: *Les Tristes - Les Pontiques - Ibis - Le Noyer - Halieutiques*. Éditions Garnier Frères. Paris, 1957.

Claro viro Aemilio Ripert sincero animo gratulamur, quod librum summa diligentia conscriptum, labore perfectum nobis legentibus reliquerit.

Prooemio (I-XV) aptissime animus ad haec Ovidii opera legenda paratur, Nasonis exilium praecipue, ejusque causae, singulari cura et diligentia perpenduntur.

Nullus textui latino criticus apparatus adjicitur, tamen ut ipse Ae. R. asserit, studiose a sapientissimis viris juxta recentiores easque optimas editiones est stabilitus; ita ut optimus quidem sit. Translationem sinceram —ut illi Ovidii libri merentur— scriptor intendit: remque plene obtinet. Nullus rhetoricus apparatus, oratio soluta, plana simplicitas Ovidii mori accommodata, fluens et numerosa translatio. Nobis videtur hoc maximum interpretis esse meritum, tam fidelem invenisse translationem quae ipsum Ovidium referat, tantaque amplitudine ornatam quae ab optimo gallico sermone non discrepet et facilis lectu sit.

Notationes interponuntur frequentes quibus, quae explicazione egent, passim, strictim, erudite explanantur; ex earum numero (1136) et pagellarum (471 561) labor horum commentariorum colligi potest.

Quae cum ita sint, omnes in miris levissimisque omnium quidem latinorum poetarum versibus magis ac melius poterunt animos recreare.

TITMUS, R. M. — *The Social Division of Welfare*. Eleanor Rathbone Memorial Lecture. Liverpool University Press. 1956.

Opus est de ratione rerum administrandarum in Britannia ad inopiam vel necessitates familiarum et infortunia levanda ut omnes commodi aliquid et aequitatis attingant. Brevis primum historia ducitur conatum et doctrinarum ad hunc finem assequendum. Optiones quae communes habentur novo iudicio subjiciendas enumerat. In his necessitatibus considerandis instat: quaeque dignae habendae sint et quoisque sublevari possint. Inopum subsidia triplici dividit ratione et explanat: sociale, id est, tributio ex aerario facta; tributarum, id est vectigalium condonatio, quae quidem modus est donationis pecuniariae; id denique quod ratione muneric vel occupationis fit, ut sunt medicinales, itinerariae curae, a laboribus vacationes, puerorum gratuita institutio, aliquique sumptus. Subsidia haec, ita sunt distributa ut alia sint aliis interjecta, sintque pro quibus, variis adjumentis sublevati, aegrotatio commodior sit valetudine.

Multa, quae in opere habentur ejusque integrum virtutem, non nisi si qui oeconomiae studiis apprime sunt addicti, credimus, callere poterunt. Opus allorum scriptorum locis locuples est.

E. TEJERINA CANAL. C. M. F.

VON RUBIN, BERTHOLD. — *Prokopios von Caesarea*. Alfred Druckenmueller Verlag Stuttgart und Waldsee. Auslieferung durch die J. B. Metzlersche Verlagsbuchhandlung in Stuttgart.

Procopius Caesareae, appellatus Herodotus Byzantinus, est historicus graecus saeculi VI. Primum rhetorices magister Byzantii; tum a secretis Belisarii, quem quidem omnibus comitatus est in bellis; denique Praefectus illius civitatis, ab anno 562 ad annum 565, paulo ante ejusdem obitum.

Hujus modi auctoris scripta exhibent tempus illud transitionis a litteris classicis graecis ad byzantinas litteras. Ipsius autem Historia, in octo libris, relationem praesertim bellorum Justiniani contra Persas, Vandulos Gothosque

amplectitur, magnique momenti notitias eorum populorum barbarorum affert. Pertingit ad annum 553 atque eam ad annum 559 perduxit scriptor Agathias. Conscriptis insuper librum de Aedificiis, seu de monumentis ab imperatore Justiniano erectis.

Hoc autem volumen clarissimi historici B. RUBIN totam Procopii Caesariensis vitam atque opus in ejusdem tempore adjunctisque elucidare intendit idque maxima auctoritate et ingenio est assecutus. Lucubratio certe rei tractatione densa, magni laboris, summae eruditiois criticae historicae. Cetera ejusdem scriptoris opera accurate perficit atque amplissime commendat.

PHILOPONUS, C. M. F.

SCIACCA, MICHELE FEDERICO. — *El hombre, este desequilibrado*. Luis Miracle, Editor. Barcelona, Aribau, 179.

Magno quidem opere captus momento quaestionum quae sunt de persona humana, Michaël F. Sciacca, in Universitate studiorum Genuensi Philosophiae Theoreticae Professor, hoc in opere expromptum voluit tanquam ejusdem cognitionum thesaurum, in vehementibus paginis quae sint veritatis aeternae hominis apologia.

Inscriptio autem libri primigenia haec: «L'Uomo questo «Squillibrato», Saggio sulla condizione humana», editum a Fratelli Bocca Editore, Romae. Conversio haec hispanica a claro viro Joanne J. Ruiz Cuevas diligenter exarata est. Opus reconditae doctrinae summaeque eruditiois plenum its maxime destinatum qui studiis philosophicis operam sedulam navant.

Cursim de re in praefatione (pp. 7-9) praeclarus magister agit. In solida «introductione» disserit: de subjecto humano et quaestione philosophica; de chao initiali et ordinis studia; de synthesi et «substantialitate» actus spiritualis (pp. 11-21). Et in tres partes totum opus dividitur: I. Condicio humana ejusque structura (pp. 23-163); II. Intellegentia moralis et ratio ethica (pp. 165-278); III. Immortalitas personalis (pp. 279-342). Scientiae philosophicae cultores non nulla de mentali provincia «durlora» hic delibabunt.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PIRE, GEORGES — *Stoïcisme et Pédagogie, De Zénon à Marc-Aurèle, De Sénèque à Montaigne et à J.-J. Rousseau*. Éditions classiques. H. Dessain. 7, Rue Trappé, Liège, 1958.

Nobilis Professor Sorbonensis, Henricus Irenaeus Marrou, hujus modi libri praefationem lepide contexit (pp. 5-8): ibique scite de Humanismi cum Paedagogia relationibus disserit. Ex quo facile libri hujus opportunitas, a claro viro G. Pire in lucem editi, comprobatur.

Rei vero cursus ex ipsa inscriptione apparet. «Bibliographia» copiosa, eaque selecta (pp. 9-14). In «introductione» breviter de Stoïcismo periodis ab auctore agitur (pp. 15-17). Prima libri pars (pp. 19-43) est de Stoïcismo pristino: Zeno Citlensis, Cleanthus Assensis, Chrysippus. Altera vero pars (pp. 45-66) de Stoïcismo medio: Scholae stoïcae grammaticae tempore hellenistico; Panaetius Rhodius, Possidonius. Tertia pars (pp. 67-155) de Stoïcismo recenti: Seneca; Epictetus, Marcus Aurelius. Quarta denique pars (pp. 157-198) de Senecae influxu in Michaëlem de Montaigne et Joannem J. Rousseau.

Opus absolvitur synthesi vel conspectu conceptionum stoïcarum in re paedagogica (pp. 199-215). Lectionis certe facilis atque eruditiae volumen a claro professore G. Pire exaratum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

KRAHE, HANS. — *Germanische Sprachwissenschaft: I Einleitung und Lautlehre; II Formenlehre*. Sammlung Goeschen. Walter de Gruyter et CO. Berlin.

Duo nova volumina nuper prodiere, numero vero 238 et 780 nobilis illius germanici Corporis, cui titulus: «Sammlung Goeschen». Alterum quidem volumen doctrina et eruditione plenum in discenda lingua germanica; atque de its omnibus est, quae ad linguae prosodiā pertinere vulgo aestimantur. Selecta de re ab auctore praeclaro, Dre. Professore Joanne Krahe, bibliographia adhibetur, absoluтоque vocabulorum indice totus liber compleetur.

Alterum autem est de morphologia linguae germanicae: in morphologiae nominis et morphologiae verbi tractatum apte divisum et

aptatum. Horum ratiō tenorque librorum technica omnino: lingua Indogermanica hisdem tanquam fundamentum. Linguarum scilicet comparatio quasi in manibus egregii scriptoris. Iis maxime commendandum opus, qui alte solideque de philologia atque linguistica exquirunt et investigant.

PHILOPONUS, C. M. F.

BERDIAEV, NIKOLAY. — *Autobiografía Espiritual*. Luis Miracle, Editor. Barcelona, Aríbau, 179.

Insigne opus hoc numero est tertium et decimum in nobili illa «Biblioteca Filosófica», a claro viro Adolfo Muñoz Alonso, in Valentina studiorum Universitate Professore, egregie recta. Ex russico vero sermone in hispanicum est conversum, ab scriptore Joanne Godo Costa. Atque libri tenor typographicus domum Editricem «Aloisii Miracle», magnopere honestat.

Agitur de autobiographia aliquatenus russici per celebri scriptoris, NIKOLAY BERDIAEV, qui ad religionem tandem catholicam se convertit. Philosophia, religio, sociologia, politica, diverse a versipelli scriptore intellecta, variis euntibus temporibus temporumque adjunctis, tanquam in speculo aut, si mavis, in cinematographica pellicula, inibi adhibita referuntur.

Loculenti, ampli, secundi, subtilis, intimi, versatilis quidem ingenii lucubratio. Lectoribus solidarum rerum studiosis, hisque recto iudicio bene formatis, lectio commendanda. Tanquam itinerarium philosophicum et spirituale, in quo auctoris vitae eventa, una cum meditatione et investigatione «theoretica» conjunguntur. Ex quo apte quadrat opus cum ceteris quae nostratem «Bibliothecam Philosophicam» effingere novimus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

Certamen Capitolinum VIII MDCCCLVII. Curante Instituto Romano Studiis provehendis. Romae.

En tibi scriptores, una cum eorundem lucubrationibus, in Certamine Capitolino VIII laurea donati: Josephi Morabito «Quies Tyn-

daritana»; Alberti Albertani «Exsul et Captivus»; Thebaldi Fabbri «Biduum Piscando Feriatum». Tres quidem elucubrationes hoc in fasciculo in vulgus feliciter eduntur.

«Petitores omnino XXXXII numero certamen adierant: XXXVIII ex Italia, unus ex Americae Septentrionalis Foederatis Civitatibus, duo, denique, ex Columbia. Certamen erat de Lupa Capitolina, quam Romanae civitatis Magister argenteam, eximia arte, effigendam curaverat, de argenteo praeterea numero Capitolinarum aedium imaginem in antica parte praebente, nomen vero litterati viri in altera. Quibus praemitis Summus litterarum artiumque liberalium Moderator pecuniam insuper adicti jusserat.

Quinque viri ad id delecti erant, ut, quid petitores facultate scribendi valerent, judicarent eorumque libellos per virtutis gradus distribuerent: Hyginus Funatoli et Honoratus Tescari, uterque Romanae Universitatis professor, Victorius Genovesi, Sacrae Rituum Congregationis hymnographus et consultor, Quintus Tosatti, Instituti rector, Guerinus Pacitti, litteris Latinis Graecisque tradendis doctor, ab actis».

Sic in Actis certaminis Capitolini VIII exprimitur. Vere hac ratione Institutum Romanis Studiis provehendis in dies provehit ut latina lingua addiscatur et colatur a magistris atque ab alumnis ubique terrarum degentibus. Quod quidem maxime omnibus plaudendum, quodque cordi est hac nostra in PALAESTRA LATINA lectoribus innuere stimuli studiique gratia.

SPERANZA, FELICIANO. — *Commento mitologico inedito all'Achilleide di Stazio nel cod. napoletano IV. E. 46. Estratto dagli Atti dell'Accademia Pontaniana, Nuova Serie - Volume VII.*

Brevis est lucubratio a praeclaro professore F. Speranza exarata et edita: «monographia» de re, solida, scita, erudita. En vero tibi tota libelli, ut prostat, ratio: «Introduzione (pp. 5-8); Testo degli scolii con relativi apparati (pp. 9-34); Osservazioni grammaticali su alcuni punti di particolare rilievo (35-38); Note (38-40)».

PHILOPONUS, C. M. F.

M. PAOLILLO - F. ALOISE. — *Maxima rerum: Roma.* Edit. «La Prora», Milano, 1958.

Liber, quem lectoribus proponimus et libenter offerimus —optima charta excusus— quemque cl. Litterarum Latinarum magistri M. Paolillo et F. Aloise exararunt, in quattuor distribuitur partes. Haec est tota libri via et ratio:

—Primo (pag. 9-104) orationes et fragmenta nonaginta quinque, plurimis notis explicata, auctorum antiquitatis classicae optimorum, in vernacula lingua vertenda proponuntur.

—Deinde (pag. 107-138) themata quadraginta quinque exclusis notis sequuntur.

—Tertia pars (pag. 141-242) exercitationes nonaginta quinque, perspicuis illustratas notis, continet quae ex italica lingua in Latinum transseri debent.

—In parte denique quarta (pag. 245-273) capita quadraginta quinque, ex viris litteratis italicis excerpta, ut latine vertantur, a cl. magistris proponuntur.

Liber —omnibus numeris perfectus, sedulo et accurate elaboratus—, ex quo alumni maximam percipient utilitatem et fructum si illum prudenter et diligenter adhibeant in convertendis praecipue veterum et recentiorum scriptorum selectis locis.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

DÍEZ DEL CORRAL, LUIS. — *La función del mito clásico en la literatura contemporánea.* Edit. Gredos, Madrid, 1957, p. 284.

Mythologiae classicae antiquitatis, in primis graecae, maxima esse auctoritate in provincia et dictione artis occidentalis nunquam deslit, cui res, argumenta, cogitata ex hominum memoria praebuit. Nullum est dubium quin nonnullis quidem aeratibus minimam ad rem vim habuerit mythologia ita ut extingui fere videatur et aliis contra temporibus admodum valuerit.

Plurima recentiorum scriptorum opera —quae liber hic spectat— maxima ex parte mythologie auctoritati et arbitrio parent. Tantam enim vim habent fabulae mythologicae ad informanda et exprimenda plastica ratione hominum omnis aetatis studia et sensa

ut earum argumenta et personae —Orpheo, Oedipo, Antigona, allisque exemplis utaretur alio sensu et tenore atque praeteritis temporibus, in hodiernas litteras late irrumpant.

Díez del Corral non modo indolem perspicit et pertinentat veteris fabulae classicae —qua religiosa cogitata omnis populi tegitur— verum etiam quibus ultimis causis in res nostras et aetatem apud nonnullos scriptores recentiores gratia et auctoritate florent.

En vobis totius operis summa: Prooemium (p. 9-29). De fabula antiqua et antiquitate ut fabula (p. 31-65). Quo pacto fabula classica et superfluerit et immutata sit (p. 67-104). Quo modo poëtae lyrici recentiores fabulas mythicas tractaverint et explanaverint: Parnassiani et Symbolistae, Mallarmé, Valéry, T. S. Eliot, Ezra Pound, Hofmannsthal, Estephan George, Rilke (p. 177-105). De «existentialismo» et mythologia: de «fato» absolutae libertatis (p. 208-237). Nomina propiorum index (p. 239-245).

Opus quidem perutile lis in primis qui momentum et auctoritatem fabularum classicarum in res et argumenta recentiorum scriptorum investigare velint.

M. MOLINA, C. M. F.

PENAGOS, LUIS, S. J. — *Gramática Griega - Ejercicios.* Editorial «Sal Terrae», Santander, 1958.

Cl. Pater A. Penagos —jam diu ob ejus ad scholam destinatos libros, a nobis maxime cognitus— hanc optimam edidit grammaticam in qua perspectuatam et moderatam rerum copiam certo laudabis.

In hoc libro, quem et magistris et alumnis non possumus, non commendare, definitiones, ordinem, paradigmata perbene et ordinata et disposita invenies: quae omnia virum non expertum tantum in tradendis graecis litteris, sed admodum peritum et versatum in lis pertractandis vere nobis ostendunt.

Exercitationes in lucem P. Penagos quoque edidit quae centum et triginta tria themata continent, quibus leges grammaticae altius in alumnorum mentes infigantur.

J. Aramendía, C. M. F.

AYUELA, JESÚS, S. J. — *Florilegio Latino*, Vol. II. Edic. 8.^a Edit. «Sal Terrae». Santander, 1958.

Ut in ipso indice significatur, de libello agitur in quo —tanquam in venusto florum fasciculo— pulcherrimi prosae et poësis latinae flores, id est Ciceronis, Caesaris, Ovidii, Vergilli perbelle colliguntur. In hac libri 8.^a editione aliqua de Sallustio excerpta adduntur.

Notulas copiosas —quae ad historiam praesertim et geographiam et mythologiam spectant quaeque breviter et accurate factae ad infinitam paginam apponuntur, ad difficultates, quae scholasticis in latinitatis itinere occurront, solvendas et ad auctorum doctrinam et verba percipienda—, maxime utiles fore aestimamus.

Ut uno verbo dicamus, libellus hic —qui admodum nobis placet— alumnis in scholae laboribus commodo erit maximo.

Est quo Patrem J. Ayuela laudibus cumuleremus.

J. ARAMENDIA, C. M. F.

SERAFINI AUGUSTO. — *Studio sulla satira di Juvenale*. Felice Le Monnier, Firenze, 1957.

Multa eaque maximi momenti, in hoc abs dubio optimo libro, a cl. auctore de Juvenale et agitantur et pertractantur argumenta.

Et in primis proponitur (pag. 1-96) quaestio illa historică, id est, utrum vitae morumque aetatis suae judicium quod Juvenalis nobis praebet, rei sit simile annon? Non nullis argumentis expositis et apte enucleatis, his verbis auctor suam expromit sententiam: «...la satira di G. è la testimonianza clamorosa della crisi di tutte le forze dell'impero» (pag. 96). Alta maximi momenti et ponderis (pag. 97-160) movetur quaestio: Quid de re moralis apud Juvenalem sentiendum est? Haecque auctoris opinio: «Nell'opera di G. nessun incitamento troviamo al vizio, che è sempre fieramente condannato e d'altra parte nessuna derisione della virtù che è sempre gagliardamente difesa... La sua parola spietata provoca sempre nelle coscienze una salutare reazione...» (pag. 160). Ad tertium argumen-tum —quod de Juvenale uberrime auctor

evolvit (pag. 161-227 «La poesia e l'arte»)— hoc auctor reddit responsum: «Davvero G. ha le qualità che distinguono i poeti: la commozione sincera, la fantasia, l'elevata e originale espressione; nei momenti grandi il suo pensiero e il suo sentimento lampeggiano in immagini; ... Egli sa drammatizzare fatti e pensieri; ... è l'artista il quale sa liberare improvvisamente, tra le congerie dei particolari, tra la massa di tutta una scena, lo scorcio fulmineo, illuminante». (pag. 225-226).

Subsequuntur deinde, in sex capita fuse dispartitiae (pag. 229-406), aliae quæstiones quae ad Juvenalis rhetoricam, dicendique rationem spectant, ab auctore scite et eruditè tractatae.

Bibliographia (pag. 407-418) qua usus est uberrima est eaque selecta.

Liber finitur accuratissimo nominum et Juvenalis in operibus locorum indice (pag. 421-436).

J. ARAMENDIA, C. M. F.

DREXLER HANS. — *Hexameterstudien V und VI*.

Manuales y Anejos de «Emerita» XIV. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto Antonio de Nebrija, Madrid, 1956. Pag. 113; 15 tabulis additis.

Alia in hexamетra «studia» ediderat auctor in tisdem commentariis quibus index «Emerita» (a. 1952-1953). Nunc «studia» V et VI editidit.

Hic ad trutinam revocat 1000 primos versus Lucant, Ovidii (*Met.*), Vergilli (*Aen.*), Horatii (*Sat.* I) et Lucretii, 500 præc̄es ex Horatii Epist. II ad initium usque Artis Poëticae, 400 ex Catulli carminibus 64, 62, 1-5, Enni et Lucilii omnes qui investigari possunt. Quos omnes accuratissime perscrutatur. «Studium» V complectitur versus caesura semiquinaria carentes vel in quibus primum locum obtinet semiseptenaria. In VI vero caesuræ perpenduntur.

Si in extremo opere collectas videris tabulas quibus res omnes investigatae et aestimatae simplici oculorum et mentis obtutui propositae coguntur, id credas, quam materiam investigandam suscepit auctor, hanc ita penitus pertractasse et ad finem adduxisse ut facile ei aliquid affirmanti, fidem fidus praestes.

A. S. F., C. M. F.

A. KOCH · A. SANCHO. — *Docete. Formación básica del predicador y del conferenciente.* Tomo VII: *La vida del hombre.* Biblioteca Herder, vol. 10. Tela, ptas. 165. Pag. 528, 14,4 x 22,2 cm. Ed. Herder, Barcelona, 1958.

Lectcrum nostrorum plurimos hoc opus, cuius VII modo volumen editum nuntiamus, diu novisse arbitramur. Opus sane egregium et singulare: in quo et materiam ad Verbum Dei praedicandum invenias et ordinatam viideas; quo qui usus fuerit quod sibi proprium est non amittet, immo nova vi et doctrina copiosore augebit.

Volumen hoc VII «vitam hominis» complectitur totam. En capita rerum: «valetudo, infirmitas, morbus, eugeniesia, sui ipsius interemptio, animi affectus sensusque, industria, proprii muneris vita, vita et sexus; status vitae eligendus.. Omnia vero argumenta et doctrinae Sacris Biblisi, e Sanctis Patribus et Doctoribus excerpta proponuntur. Noli tamen hic quaerere opus perfectum, sed tibi perficiendum; copiosum cibum, sed tibi concoquendum, invenies.

Cum tempus ad multos libros consulendos et voluntandos non suppetat, Divini Verbi Praeco plures in unum coactos hic habebit, atque facile et cum animarum profectu et delectatione munus suum obibit.

CH. GEORGIN. -- *Dictionnaire Grec - Français.* Nouvelle édition. Librairie A. Hatier, 8, rue d' Assas, Paris, 1957, pg. 895.

Parvae quidem molis hoc «dictionarium», sed magni ponderis et pretii. Quod cum iterum nunc edatur, fortasse lectores jam neverunt. Non est opus sane completissimum et absolutissimum, quo omnia verba continentur quae lingua Graeca antiqua habuerit: neque id assequi auctor animum induixerat. Sed est opus suo genere et intra fines ei designatos perfectum. Saepe libro usus sum cum auctores scholasticos, quos dicas, Homerum, Demosthenem, Xenophontem, Platonem, Plutarchum... legerem, et usu expertus sum: A) verba horum auctorum omnia, et aliorum, in hoc dictionario inveniri; B) verba aptissime et occuratissime selecta esse atque perpensa; C) verborum vim et sensum maxima proponi

perspicuitate ita ut vel primo adspectu, et ex ipsis typis sensus praecipui, ex quibus alii facile deriventur proponi.

In extremo opere colliguntur homonyma graeca, radices graecas majoris momenti et utilitatis, quaedam de dialectis, quibus elementis tragoeadia, quibus Aristophanis comedie constet.

Nulla interposita haesitatione hoc «dictionarium» vehementer commendamus, dum cupimus ut apud nostros opus ita perfectum prostet...

G. LURQUIN. — *Mathésis. Manuel de culture grecque.* Initiation à la pensée scientifique. Editions De Sikkel S. A. 116, Lamorintrestraat, Anvers, 1957. Pg. 148.

Belgas fortasse primam aciem in linguis classicis fovendis, tutandis, instaurandisque, et in methodis novis experiendis, cert. tenere credas, si libros his de rebus nuper editos voluntaveris. En alium novum librum, qualis haud dubio desiderabatur in scrinii nostris.

Nonne qui linguam graecam docemus, oblitos paene, ne dicam contemptos habemus scriptores illos veteres qui de rebus naturae, de mathematicis, de medicina opera scripserunt? Qui tamen multa eaque praeclara reliquerunt, quae si ignores, neque Platonem intellegas neque Homerum. Nunc praesertim cum viri aequales utilitatem ubique quaerunt et usum, operae pretium est ostendere, aestimare, perpendere quantum ad artes invenidas evolvendasque contulerint Graeci, quorum quidem nomina his etiam diebus in libris scientificis saepe laudatos viideas et allatos.

In hoc ergo libro breviter —quoniam tamen primigenia scripti lingua exhibeantur sed gallice redditi— legas locos praecipuos de disciplinis mathematicis (de earum origine et variis adspectibus), stellaribus, physicis, geographicis, medicinalibus, naturalibus. Liber ut patet utilis, quem si in manibus habueris non relinquis dum totum perlegeris. Quod si alumnis proponitur, fortasse res sublimiore tractantur modo.

Plausum est quod impertiamur cl. viro Lurquin, qui *Enchiridion* suum graecum mirandum, hoc novo opere decoravit, complevit, illustravit. JACOBUS SIDERA, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania: 15 pesetarum


Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. V - (FASC. I) - N. 17

M. MARTIO

A. MCMLIX

AULUS
DOMUM
DESCRIBIT



Hodie, pueri, interiores domus partes vobis monstrabo.

Primum est *janua* quae totam praemunit domum; et, aperta janua, *ostium* nobis patet, quo in *atrium* ducimur. Est autem *atrium*, uti videtis, *praecipua* domus pars: hic vita familiaris agitur, hic Larum ara, ubi colluntur, hic sacer focus *Vestae* dicitus; hic majorum ac nobilium hominum imagines veneramur.

Pavimentum tessellatum est, tectum lacunaribus ornatur magnificis. In medio autem atrii tecto foramen — cui nomen *compluvium* — aperitur, quo aēr et lux penetrant; aqua vero pluvialis in stagno — *impluvio* appellato — coaceratur; juxta *impluvium* est *fons saltiens*.

Ad atrium, dextra laevaque, *cellae* parantur, quas duae *alae* utrimque subsequuntur, e regione autem januae *tablinum* conspicis elegans. *praestantem* locum volubilibus linteis — quae Terentia mater figuris mira arte depinxit —, protectum; apud alios, ut in domo Terentillae, tabulae mobiles pro linteis, *tablinum* ab atrio separant; quod aliquando, ut a matre audivi, *triclinii* vices gessit; nunc autem *tabularium*, id est rationum tabulas ares pretiosas continet. Hic pater saepe cum amicis versatur et clientes mane excipit. *Fauces* transitum praebent quo servi eant redeantque ex atrio, quin per *tablinum* transeant.

«HANSELUS» ET «GRETA»

Fuere quondam duo pueri, Joannulus et Margarita, qui in parva domo prope vastissimam silvam, cum patre et matre vitam agebant. Quodam die «Hanselus» (sic enim Joannem amoris causa saepe vocabant) sororem rogavit ut secum in silvam deambulatum exiret. Quae admidum contenta fuit, cum deambulatione magnopere delectaretur. Duo ergo pueri domo exierunt. In silva multas et jucundas res viderunt. Dum flores Greta —hoc etiam blando nomine saepe appellabatur—, passeris et parva animalia Joannulus aspiciebat; quo pueri longum e domo iter ambulaverunt, ac sole jam occidente, ubi sua domus esset, nesciebant; illam quaerebant, sed non inveniebant; et cito fessi, esurire coeperunt. Margarita tunc dixit: —Ei mihi, Hansele, fessa sum et esurio multum.

Cui Joannulus:

—Etego quoque, Greta. Sed hic dormire non possumus; si nos hic dormiremus, fera forsitan veniret et nos voraret.

—Ei, timeo, Hansele, timeo.

—Noli timere, Greta. Secunda omnia nobis accident. O! quid est hoc?... Nonne et tu aliquid illic vides?



—Ita sane, parva domus est.

—Ita est. Nonne dicebam tibi. Prospere res procedent si ibi dormire cibique aliquid invenire possimus.

—Ita prorsus, sed cujus sit haec domus ignoramus.

—Ignoramus, nec scimus an quis in ea sit. Accedamus ad eam valde quiete ut videamus an quis ibi sit.

—Recte, Hansele. —Veni ergo mecum, sed admodum quiete!

—Hansele! Haec domus mira prorsus est, nonne? Parietes aspice.

—Et aspice tectum.

—Isti parietes cupediae videntur.

—Et tectum placenta... Placenta quidem est. Videsne? Aliquid ex ea sumpsi, et edam.

—Et hi parietes cupediae certo sunt. Non nihil surripui, et edam. Nunc non esuriemus.

—Non esuriemus quidem; hae cupediae gratissimae sunt. Et hoc est placenta. Heu heu! Margarita... Ibi anus domo exit...—Venefica videtur, nonne? Veneficam quidem esse puto.

—Soror, anus quidquam loquitur.

—Quid hic, pueri, facitis?

—Timeo, Hansele, ne pessima anus sit. —Mitte timorem; cum illa loquar. Huc venimus quia fessi sumus, domina, et esurimus; deambulatum in silvam eximus et domum nostram iterum invenire non potuimus.

—Recte est; quare huc venistis? Mihi non placent pueri circumeantes et spectatores.

—Non certe venissemus nisi essemus fessi et fame confecti.

—Atque nunc domum meam editis.

—Doleo, domina. Quemquam hic esse nesciebamus.

—Et tu, tune, puella esuris?

—Ei, sane, domina, multum esurio.

—Bene est; intrate in domum meam, et aliquid cibi vobis inveniam. Ecce! in

his duabus sellis sedete dum vado ut
quicquam in culina inveniam.

—Grata est domus haec, nonne,
Hansele? —Est sane. Non illam venefi-
cam censeo, sed amabilem esse matrem.

—Sicut, venit.

—Cibos ecce vobis: lac, panem, ca-
seum inveni. Edite quantum possitis, et
postea ite et in duabus illis lectulis in
hoc cubiculo dormite.

Itaque pueri cum edendi finem e-
cerunt in cubiculum ingressi sunt et in
duabus illis lectulis ad mane dormierunt.
Mane, anus venefica —venefica quidem
erat illa mulier — ad puerorum cubiculum
venit et dixit: —Surgite, pigri pueri! Sur-
gite, venite meque juvate. Veni huc,
puella. Quod est nomen tuum?

—Greta vocor, domina.

—Sume igitur, Greta, situlam et i,
aquam affer. Si pigra eris, te puniam.
Tu, puer, quod nomen habes?

—Hanselus, domina.

—Hanselusne? Bene, veni tecum,
Hansele. Nunc dic mihi: quid in angulo
cubiculi vides.

—Magnam caveam video.

—Videsne in cavea placentam?

—Video sane.

—Bene; caveam intra, et mihi pla-
centam affer eamque postea edes.



—Gratias habeo, domina. Ibo et
afferam. —Optime; ingredere.

—Jam sum in cavea; placentam jam
cepi. —Et ego quoque te cepi...

—O! quare januam clausisti? Aperi,
aperi; tu es pessima anus!

—Ecce aquam, domina. Hansele
quid facis in cavea ista?

—Est in cavea quia illum edere vo-
lo. Cum sat pinguis erit, illum edam.
Nunc, Greta, mitte ligna in ignem dum
in horto labore.

—Quid faciemus, Hansele?

—Nescio, Greta. Timeo nunc et ego.
Cur in silva deambulavimus? Si in silva
non ambulavissemus, domi nunc essemus.

—Si haberem veneficae clavem ca-
veae, januam aperirem.

—Et si caveae januam aperires, ve-
nefica nos inveniret et puniret. Nescio,
nescio quid nobis sit faciendum...

Et ita Joannulus duas hebdomadas
in cavea vixit. Cottidie Margarita aquam
et ligna anui ministrabat. Sed quodam
die ignem fecit magnum in culinae for-
nace, et cum admodum incensa est for-
nax, dixit: —Greta, Greta, ubinam es?

—Hic sum, domina.

—Veni huc, puella. Veni et adjuva
me. Infer caput in fornacem et dic mihi
an sat incensa sit. —Nescio, quomodo
caput in fornacem inferam.

—Nescisne caput in fornacem po-
nere? —Nescio, domina; monstra tu
mihi, quæso.

—Monstrabo. Facillimum est. Aspice.
Introrsum caput hoc modo infer...

—O! quid agis? heu, heu!...

Scitisne quid Margarita fecerit? Intra
fornacem anum veneficam impulit, por-
tamque clausit. Tunc clave sumpta ja-
nuam caveae reserat, et exiit Joannulus.

Ab illa tandem domo egressi, silvam
petierunt, statimque domus suae viam
invenerunt.

EULOGIUS TEJERINA CANAL, C. M. F.

In Collegio Sancti Dominici Calceatensis

Haec fabella, annuente Editore anglico London Cal-
ling Europe et English by Radio Departament, BBC London,
latine editur. Utique maximam reterimus gratiam

INTER SERPENTES

Jam navis vapore acta ex portu urbis Maracaibo Americae Australis erat profectura, cum Nigrita quidam, tenebris nocturnis protectus, proram navis clam ascendit et se in imam navi gii alvum abdidit. Volebat enim crumena vacante «caecus vector» in patriam, unde triennio ante discesserat, redire. Nesciebat autem, quot horae tormentorum plenae sibi hac nocte fervidissima essent preferendae. Etenim navis eadem alvo, qua Nigrita se absconderat, mille admodum serpentes maxime venenosos secum ferebat. Qui valetudinario Brasiliensi Bunatan destinati fuerant et ex eorum veneno, arte extracto, medici aliquot docti serum conficiebant, quod aegrotis, qui morsu mortifero serpentium infecti in summo vitae discrimine versantur, vitam quasi perditam reddere solet.

Serpentes, quos supra commemoraram, cistis et canistris vimineis inclusi servabantur. Subito media nocte, dum astra miro lucent fulgore, custos nocturnus strepitum audit statimque gubernatorem certiorem facit. Qui nauta aliquo comitatus, locum unde strepitus provenerat, petit, portam caute aperit et lumine electrico spatum

ACUTA PER TELEPHONUM
RESPONSIO

Alumnus quidam italicus, prodigus sane et heluo cum patre telephono ita est collocutus: *Sono sulla strada; latine: «In via sum»*, quod significat: «Sine ulla pecunia sum». Pater illico respondit: *Stia benino atteso a tutti i veicoli!, latine: «Cave viarum vehicula!».*


DR. DOLD,
parochus

Quidam in judicio testis insignite mendax a judice diligenter admonitus, ut ea tantum proferret, quae essent vera, magnifice, «At ego, inquit, jam infans desponsus sum veritati». Tum jejune judex: «Itaque palam est te jam aliquantum temporis viduatum esse».

A. AVENARIUS



Heus. heus! iterum projice in mare; nemo enim hujusmodi tam abnormem pisces te cepisse credat.
Delineavit BERUETE



—Quomodo ergo hoc evenit?
—Facillime. Videsne illam arborem?
—Video.
—Sed, me miserum!, ego non vidi...

INTER CONJUGES

*Fit inter conjuges discordia.
Illa, quae quidem foedissima
est, dicit sponso:*

*—Audesne, stulte, in me
conicere oculos?*

*—Mulier, quid miraris? Ho-
mo omnibus assueficeri potest.*

JOANNES MORÁN
In Sem. Min. Barcinonensi

*—Verumne est, pater, ballae-
nas sardinis vesci?*

—Ita est.

*—Quomodo ergo «sardinarum
capsellas» aperiunt?*

Tempora praesentia et futura
discenda magis sunt quam
•praeterita et supina•.

B. BORIKÓ
Vici

Dederunt potatori uvarum
racemum.


*—Maximas vobis ago gratias,
sed vinum non poto cum «pilu-
lis».*

MYOPS AUTOCINETO
VECTUS

*—Joannes, en moenia Tarra-
conensia.*

*—Nequaquam, sed est viae
crepido.*

F. FIGUERAS
In Collegio Cervariensi




- a) Cleo b) Recito
c) Consigno d) Mirabilis
(dat.)

perobscurum lustrat. Continuo attonitus refugit. Cistae enim et canistra reserata patent et ubique serpentes repunt. At medio in loco cistae insidens est Nigrita immotus et veluti exanimis.

Quid interim acciderat? Caecus ille vector, ubi primum cistas, quas bananis refertas putabat, patefecit, subito lumina ignea propius propiusque ad se venire conspexit, et cum horrore sese inter angues versari cognovit. Jam horae, quae insequebantur, cruciatibus infernis haud absimiles fuerunt. Cum expertus nosset serpentes tantummodo homines, qui sese moverent, mordere, immobilis et velut tormentis defixus sedebat, dum bestiae illae super pedes et ipsum ventrem repebant. Ita morsus venenosos evasit. Gubernator re periculosa perspecta laqueum amplum lente et tam apte in alvum demisit, ut laqueus corpus vectoris miserrimi circumdaret. Tum laqueum leniter attraxit et infelicem vectorem quasi statuam ligneam ex inferno eduxit. Bene acciderat, quod Nigrita membra horrore torpida movere non poterat. Quodsi vel paulum movisset, non dubium, quin serpentes dentes mortiferos infixissent. Tantum anguis parvus, qui vestimento adhaeserat, una cum vectore eductus est et vecte contusus periit.


N. MANGEOT, S. J.



Audin'?, audin'? Minime, domine, minime; non crocodilum in sacco, sed saccum petivi e crocodilo.

Exscripsit BERUETE, C. M. F.

S E R V I U S



1. Quo tempore Tarquinius Romae regnabat in regia prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero cuidam dormienti, cui Servio Tullio fuit nomen, caput arsisse ferunt multorum in conspectu. Cum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, a regina retentus est, et sedato tumultu moveri vetuit puerum, donec sua sponte exnerrectus esset. Tum Tanaquil viro: «Hic quidem puer lumen quondam rebus nostris dubius erit».

2. Inde puerum liberum et tanquam ex familia regia habent, artibus eruditunt, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur. Evenit facile quod dīs cordi esset juvenis; evasit vere indolis regiae, filiamque ei suam rex despōdit.

3. Sed Ancī filii duo —cum indissimum haberent se patrī regno tutorīs, id est Tarquīnī, fraude pulsos esse—, ipsi regī —Tarquīnō— insidiae, parant. Quo ex pastorib⁹ ferocissimi delecti sunt ad facinus; hī in vestibulo regiae, quam potuerunt tumultuosissime rixantur et in se omnes apparatores regios convertunt; ambo regem appellant et ad regem pergunt.

4. Primo, uterque vociferari, pos-tremo, silent; unus rem orditur. Et cum, Intentus in eum, se rex totus avertit, alter elatam securim in caput dejecit, et relicto in vulnere telo, ambo se foras ejiciunt. Tarquīnum moribundum adstantes excipiunt.

TULLIUS

5. Clamor inde fit et concursus populi. Tanaquil inter tumultum regiam claudi jubet, arbitros ejicit, ac Servio propere advocato paene exsanguem Tarquinium ostendit, et dextram tenens orat ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat. «Tuum est, inquit, Servi, si vir es, regnum. Nunc te illa caelestis excitet flamma, quae tuum caput divino igni circumfudit; nunc expurgiscere vere».

6. Cum clamor impetusque multitudinis vix sustineri posset, Tanaquil per fenestras populum alloquitur. Jubet bono animo esse; sopitum fuisse regem subito ictu; ferrum haud alte in corpus descendisse; confidere prope diem ipsum eos visuros; interim Servilum jura redditurum esse et obitum alia regis munia.

7. Servius cum trabea et lictoribus prodit, ac sede regia sedens, alia decernit, de aliis consultorum se regem esse simulat. Itaque per aliquot dies, cum jam exspirasset Tarquinius, celata morte, quasi vice regis fungens, spem regni in se firmat. Tum demum res palam fit; et Servius, praesidio firmo munitus, primus injussu populi, voluntate patrum regnavit.

8. Aucti regis liberi jam tum, cum, comprehensis sceleris ministris, vivere regem et tantas esse opes Servii nuntiatum est, exula-tum ferant.



Nuntia varia accipite, pueri

Florida. — Qui in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis in studia physica incumbunt, die vicesimo sexto superioris mensis Septembris, moderante Vernher Von Braun viro, magno, ingenio praedito atque tanti operis effectore, septimum jam missile, quod satellitem arte factum subvehebat, se emisisse nuntiant; missile tamen in suum orbem satellitem impone-re non potuisse dicunt.


Docti illi viri referunt tres, quibus satelles constabat, partes, suum munus, cum jaculatus est, exsecutas esse; sed cum celeritatem altitudinemque ad satellitem levandum necessariam consequi non posset, quamvis partes illae seu missilis portiones oxygeno fluido et boro impletae essent, in terram cecidit et paulo post disposita.

Novo Eboraco. — Von Braun, praeclarissimus vir germanicus, nunc in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis vitam agens, qui totam aetatem naturae physicae secretis perscrutandis ab adulescentia insumpsit, auctor atque inventor in bello Europaeo igneorum globorum, quibus nomen erat V¹ et V², modo autem Americanorum satellitum faber, actorum diurnorum scriptoribus, abhinc paucos dies, haec protulisse fertur: «Patria non est mihi; ego in luna patriam meam collocari cupio».

Holmia (Estocolmo). — Die tertio nuper elapsi mensis Januarii viri scientifici Russici primum —ut creditur— missile in lunam ejecerunt. Hoc vero —sex milia chilometrorum a nostro satellite declinatum—, solem petivit et cum vaga illius stella, inter Venus et terram sita, facta sit, orbes circum solem nunc facit longissimos...

Vasingtonio. — Dum haec, die primo hujus mensis Martii, scribuntur Americani quartum jam in lunam emiserunt satellitem qui, ab ea undecim milia Chilometrorum!!! deflexum, citatissimum per spatia iter in solem facit... Quid de eo fiet?

Caliphornia. — Paucos abhinc menses homo, cui nomen «Robots», a scientificis fictus inventusque viatomica ducitur et movetur. Referunt viri tecni-chi tabernis, officiis, thermopolis... istum hominem magnae utilitati futurum...



J. ARAMENDÍA, C. M. F.

IN SCHOLA LATINE CANAMUS!

Vos, jucundissimi alumni, in scholis concinere invito. Scio enim quantum vobis canere placeat sicut hirundines quae in improbo suspendendi nidi labore garrire non desinunt... Et quam similis nido hirundinum schola vestra!

Me quoque non praeterit quantum vobis arrideat concinere ut apes quae murmure alarum hortos et viridaria complent cum ad favos exstruendos nectar e flosculis libant... Vestra autem schola nonne industriarum apum examen videtur?

Dehinc igitur, pueri suavissimi, ut hirundines et apes in aula laeti concinamus!

Cantus enim arduum scholarum laborem mitigabit, mentes declinationibus et conjugationibus defessas levabit, generum grammaticalium, praeteritorum et supernorum fugabit fastidium. Cantibus etiam Ciceronem conscentem in rostra, Vergilium per nemora lyra canentem, Caesarem in castris proeliisque versantem, Horatium per vias Urbis deambulantem laeto animo laetoque ore comitabimur.

Quam ob rem cantilenas vobis in vestra *Palaestra Adulescentium*, vulgabimus et antiquas et recentes, quarum aliae auribus vestris omnino erunt ignotae, aliae eis familiarissime sonabunt; aliae una concordique voce, aliae variis choris concinenda.

Canamus omnes omnium temporum et nationum cantilenas latinas aut latinae linguae accommodatas.

Ut hirundines et apes in aula latine concinamus!

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

JAM FRIGUS ABIIT!

(«CANON»)

Pueri in quattuor choros distribuuntur et unusquisque chorus ad singulas litteras (A - B - C - D) ex ordine canere incipit.

Aff. Mod^{lo}

Jam frigus abiit, cito calor adebit. Nunc verno tempore floruerunt arbores. Cum passeret cununt super tec ta piu! piu! piu! Cu-cu! Cu-cu! respondeat cu cui-lus...

Divus Franciscus Assisiensis et turtures

Olim adulescens quidam plurimos acceperat turtures, quos in mercatum ferebat. Cum huic in itinere occurisset Franciscus Assisiensis, vir sanctitudine praestans, qui singulari misericordia erga animalia mansueta adducebatur, illos turtures oculis misericordibus conspiciens, his verbis adulescentem interpellavit: «Te, mi bone adulescens, rogo, ut has aves mihi committas: cupio has bestiolas —cum quibus Sacrae Litterae castos humilesque animos comparant—, hominum crudelissimorum praedam non esse».

Ille vero statim omnes turtures dedit divo Francisco, qui gremio illos accipiens, haec dulcia verba pronuntiavit: «Ego vos, mei turtures, a morte servabo, vobis aedificabo nidos. Scio tum pullos procreatores esse, Dei jusso oboedientes».

Postea divus Franciscus, suum cuique nidum comparavit et turtures cum eo et cum ejus sociis manserunt.

Adulescenti autem, qui turtures tulerat: «Fili mi, inquit, animo percipiente inter mei ordinis monachos adlectum iri et Jesu Christi doctrinae profuturum esse».

Quod quidem evenit, scimus enim adulescentem monachum fuisse atque sanctissimam vixisse vitam.

ANTONINUS REDI

Tropiensis Seminarii alumnus III C. (in Italia)



NARRATIUNCULAE

Homo quidam praepinguis in platea urbis subsistens de deversorio quaerebat. Quem scurra aliquis a vertice ad talos contemplatus, subridens: «Videte», inquit, «hic sarcinam suam prae se, alii post se et a tergo vectant». Sed protinus audivit: «Hoc soleo, cum per furum loca iter facio. Alioquin morem, de quo dicis, servo».

Hebreus cum Christiano contendens affirmabat plures Judaeos esse in caelo sanctos quam

Christianos. Paciscuntur igitur, ut uterque suos singillatim enumeret et ad unumquodque nomen alteri pilum e barba evellet. Incipit Hebreus: «Abraham» et, ex pacto, Christiano pilum extrahit. Christianus Sanctum Petrum nominat et idem facit. Ita pergunt. Tandem Christianus tandem motus in barbam Iudei invadit totamque simul diripit dicens: «Sanctus Mauritius cum tota legione Thebana».

N. MANGEOT, S. J.

AENIGMATA




EFFATA

*Qui nescit nescitque se nescire, stultus est. — Eum cavete.
 Qui nescit scitque se nescire, innocens est. — Eum erudite.
 Qui scit nescitque se scire, dormit. — Eum e somno suscitare.
 Qui scit scitque se scire, sapiens est. — Eum sequimini.*

JOSEPHUS LATORRE

IV c. *alumnus*

J. CAMPS
Philosophiae alumnus



AD SALTUM ECULEI

EST	TI	O	AE	RUM
TI	A	PRO	VI	RE
A	BLI	TI	O	PRI
LI	STUL	CI	NE	RUM
VIS	CER	O	UM	SU

TRIANGULUS MAGICUS

	1	2	3	4	5	6	7	
1								populus Aremori-
2								evelas [cae
3								deae
4								cantus (<i>accusat.</i>)
5								ne
6								vivis
7								litt. consonans

— Aquam vascull, in quo pisces natant,
 mutastine, Julia?

— Minime, domina, quia pisces totam a-
 quam nondum potarunt.

BERNARDINUS MARIN

IV C. *alumnus*


— Dic, Joannule: quo modo appellatur lac
 gallice?

— Hodie quomodo appelletur nescio, cum
 lac cotidie aqua lustretur...

JOSEPHUS MOSCARDO

III *Cursus alumnus*

A E N I G M A V E R B O R U M



Ad perpendiculum: 1) Mitis. Lex a dictatore data. — 2) Jungat. Praeconium. — 3) Ausculo. Oboedio. — 4) Graecorum deus (=lat. «Saturnus») (genit. lit. versis). Litterae e verbo «plene». — 5) Mussitavi. — 6) Vocalis. Asiaticus. Consonans. — 7) Aegeai maris insula. Simonidis poëtae patria. 8) Consonans. Lapilli (lit. versis). Consonans. — 9) Stultiae. — 10) Epitheton Jovis (lit. versis). Armas. — 11) Mensuris (lit. versis). Celeber. — 12) Supernato (lit. versis). Dilecti. — 13) Sillis. Currum duarum rotarum (dat.).

ANDREAS SOLER

Quae te docet magister, Antoni?
- Nihil omnino me docet, de omnibus
Interrogat.

PETRUS CODINA
Philos. alumnus

SOLUTIONES

(Cfr. P. L., 1958, fasc. IV, p. 506)

PECTEN: Panneus. a) Para, b)
Nota, c) Eris, d) Sita.

ABACUS VENEFICUS: Ne-
mo irascendo fit fortior nisi qui
ortis sine ira non fuisset.

SOLUTIONES MISERUNT:
E. Escura, B. Beltrán.

- In transversum.* a) Libido. Scissos.
— b) Vacuum Incolae cuiusdam Siciliae urbis. — c) Unguentum quo athletae ungebantur. Aegyptorum deam.
d) Venter Livori. e) Consonans. Umbriae urbs. Consonans. f) Litterae e verbo «maces». — g) Consonans. Thessaliae rex, Promethel filius. Consonans.
— h) Urceolus (lit. versis). Diro. — i) Calceamenta quae mulieres calceabant in scaena (acus). Canis. — j) Prohibui (lit. versis). Incolae Tauricae. — k) Cognomen Aeginae. Venta gladiatori-
bus data.

Filiola praefecti disciplinae publicae patri: «Dic, mi pater, canis qui semel furatus botulum est, poteritne inservire dein disciplinae publicae?»

A. AVENARIUS, S. V. D.

IN MALO VERITAS



Nunc tandem qui mala surriperet novi, et in malo prehendit.

BERUETE

BIBLIOGRAPHIA

Anthologia Graeca, Band II. Aufl. 1957. 608 Seiten. Buch VIII - VII.

Anthologia Graeca, Band III, Aufl. 1958, 830 Seiten. Buch IX-XI. - Griechisch-Deutsch. Ed. H. Beckby. Ernst Heimeran Verlag in München.

Jam pridem de hac «*Anthologia Graeca*», copiosiora verba fecit cum primum volumen prodidit. Nunc breviora sufficient: Opus compleetur volumine II et III, quae minime primum volumen dedecent. Voluminis alterius liber primus praebet inscriptiones sepulcrales quae scriptae sunt ad memoriam perpetuandam liberorum, sponsorum sponsorumque, parentum, etiam equorum, cet. Alter seu VIII liber illas 254 continet inscriptiones quas S. Gregorius Theologus et Thaumaturgus scripsit.

Volumen tandem tertium comprehendit libros IX-XI, quibus continentur copia variorum epigrammatum prout variae sunt opportunitates vitae et occasiones, nobiles quoque distichi philosophici argumenti mores attingentes. Clauditur epigrammatis ad jocos, ludibria, compotationes compositis. Ut patet *Anthologia Graeca* verus est thesaurus isque locupletissimus rerum et morum et monumentorum et litterarum graecarum. Laus tribuenda Officinae Librariae Heimeran quod in manibus hanc pulchram commodamque editionem paravit et edidit.

JACOBUS SIDERÀ, C. M. F.

L. A. SENECA. — *Qüestions naturals*. Text revisat i traducció del Dr. Carles CARDÓ Fundació Bernat Merge. Barcelona. Vol. I pg. 114, a. 1956; Vol. II, pg. 94 (duplex), a. 1957.

Hos «*Quaestionum Naturalium*» libros in catalaunicum convertit cl. v. Carolus Cardó (R. I. P.), qua sua erat peritia et utriusque sermonis — patrili et latini — cognitione. Qui etiam breviter exponit in praefatione quot sint et quales «*Quaestionum naturalium*» libri, et quo ordine digesti, qua via et ratione

compositi, quae sint Senecae opiniones, in ipsis propositae, quibus scripti sint, qua arte et copia dicendi exarati. Breviter etiam persolvit quaestionem de tempore quo ab auctore sint conditi. Volumen prius continet libros I et II, alterum vero III, IV-A et IV-B. Hunc in his voluminibus naevum notavi — qui quidem ab aliis hujus Corporis libris fere abest — foedari interdum mendis typographicis textum latinum et catalaunicum.

Digni tamen sunt hi libri qui legantur et quod Senecae sunt et quod a C. Cardó conversi et quod abundant Senecae philosophi placitis et sententiosis, quae quidem utiliora sunt et veriora quam quae de rebus naturalibus disputat.

P. PAPINI ESTACI — *Silves*. Vol. I (Llibre I).

Text revisat i tradacció de GUILLEM COLOM i MIQUEL DOLÇ. Fundació Bernat Merge, Barcelona, 1957. Pg. 90 + 90.

Michaël Dolç una cum Wilelmo Colom hoc novum genti catalaunicae fecit beneficium Statii *Silvas* in sermonem patrium — addito textu latino — convertendo qua sua est sollertia et industria. In hoc volumine primus Silvarum liber legendus praebetur. Ut mos est, ante carmina praefatio longa scitaque praemittitur in qua quis fuerit et qualis Statius perpenditur, quae et quomodo scripsit, quanti ejus poeticum numen sit faciendum, quam Vergilio, quam Ovidio, quam Martialis similis fuerit aut dissimilis, qua scribendi facultate et ingenio valuerit; denique quae ad textus historiam referuntur et quae ad rem bibliographicam spectant. In apparatu qui dicitur critico redigendo, maximam — neque tamen unicam — auctoritatem codici Matriensis tribuit; at utitur optimo quoque quod apud altos codices et editores inventur. Nunc tamen primum adhibet — cum nunc primum collatus sit — lectiones manu scripti codicis bibliothecae Marchionis Campofrancensis, ad Palmam Majoricensem.

JACOBUS SIDERÀ, C. M. F.

P. VIRGILI MARO. — *Bucóliques*. Text revisat i traducció de Miquel Dolç. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1956. Pag. 112 in «introductione» et 232 + 232.

Non semel in catalaunicum Vergili eglogae conversae sunt: nam anno 1911 Carolus Riba convertit cum versum hexametrum linguae sibi vernacularae aptare voluit, et Laurentius Riber (RIP.) anno 1918 versibus hendecasyllabis inclusit. Haec tamen conversio quam modo praebemus, nova est et plane sua, quam init Joachim Balcells —nunc vita functus, cui pie hoc opus dicatur—, complevit autem Michaël Dolç, vir litterarum latinarum peritissimus. Qui convertit soluta oratione, sed eleganti, distincta, nitida, venusta, exprimens, quod ejus fieri potest, motum illum quasi musicum, Vergili carminum proprium. Etiam prooemium scribit scitissimum et amplissimum (nam 112 paginas complectitur), in quo omnes de Vergili operibus quaestiones in universum, etsi summis labris, erudite et sapienter perpendit et in trutinam revocat. Textus latinus —editio enim bilingualis est— optimis manuscriptis et criticis editionibus fulcitur. Auctor optimos quoque harum rerum scriptores consuluit. At potius quam erudititionem et rerum cognitionem vastissimam patefacere —quod praeterea sibi facilissimum fuisset— maluit praecipua tantum seligere et illas opiniones proponere quae verisimiles apparerent quaeque peritissimas in singulis quaestionibus viris probarentur. — Magni etiam facienda sunt «introductiones», in singulas eglogas, in quibus uniuscujusque adjuncta explicantur et quaestiones maximis momenti existimantur et argumentum perspicue et acute exhibetur.

Cum haec omnia legeris id tantum cupias: ut Vergilium totum hoc modo catalaunice loquentem quam primum audiamus. Nam

est propositum Vergili opera omnia in hoc Corpore edere.

JACOBUS SIDERÀ, C. M. F.

PINDAR. — *Odes*. Volum I: *Olímpiques*. Text revisat i traducció de JOAN TRIADÚ. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1957. Pg 80 + 80.

Nemo est qui ignoret Pindari carmina intellectu difficillima semper habita esse, audemque semper existimatum esse illum qui in linguas vernaculars converterit. Joannes Triadú tamen rem etsi difficilem est audacter aggressus et ostendit falsum esse rem omnino fieri non posse: nam in hoc volumine carmina Olympia (1-5) est persecutus maxima elegantia sermoneque presso, primigenio sermoni non indigno. Carmínibus praeponit —ut mos est— praefactionem, in qua narrat quae ad manus scripta et editiones, ad linguam et metrificam, ad vitam poëtae ejusque opera, etiam quae ad ludos publicos Graecorum pertinent. Singulis quoque carminibus propriam praeposuit «introductionem» qua illa omnia explicitentur necessaria ad rectum plenumque intellectum. Rei criticæ apte existimandæ imparem me profiteor. Scio tamen cl. v. Em. Fernández Galiano —rei Pindaricae peritissimum, cum et ipse ediderit in hispanicum Pindari carmina — hac in re ab auctore nostro non parum dissentire, ut appareat in ea libri hujus recensione quam in commentariis «Estudios Clásicos» (4 (1958) 384) vulgavit. Rerum tamen criticarum profani gaudemus quod versionem Pindari optimam —quod sit sane optima et Fernández Galiano profitebatur, et rerum criticarum profani perpendere possumus et existimare— legere possumus eaque delectari. Quod haud dubio nobis praecipuum est.

JACOBUS SIDERÀ, C. M. F.